Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
13 F
18

9-11.5.25

X III

F. G. Card. Besozzi

Digitized by Google

33.e.17

Digitized by Google

HISTORIA
SUMMORUM
PONTIFICUM
PER EORUM
NUMISMATA.

Digitized by Google

Ex libris Congregationis S.ti Mauri . Romæ



HISTORIA
SUMMORUM PONTIFICUM A MARTINO V. AD INNOCENTIUM XI.
PER EORUM NUMISMATA.

AB ANNO MCCCCXVII AD ANN. M.DC.LXXVIII.

A R.P. CLAUDIO DU MOLINET Canonico Regular. Congregationis Gallicanæ.

LUTETIÆ, Apud LUDOVICUM BILLAINE Bibliopolam Pariſienſem.
Cum Priuilegio Regis Christianiss. M.DC.LXXIX.

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI D. N.

INNOCENTIO XI.

PONTIFICI OPT. MAX.

F. CLAVDIVS DU MOLINET F.

EX *quo, Deo duce,* B*EATISSIME PATER,* *militiæ ſacræ nomen dedi, & voti compos, nõn modò in Apoſtolicum* Ordinem Canonicorum Regularium*, ſed & in Apoſtolicam quoque Domum Sanctæ Genovefæ Pariſienſis admiſſus ſum; mearum partium eſſe duxi, ut ſi*

Digitized by Google

quid ars, labor, ac induſtria efficere poſſent, illud omne, qualecunque eſſet, Sedi Apoſtolicæ referrem, ac ultrò conſecrarem.

Noſter Canonicorum Regularium Ordo, qui quantus quantus exiſtit, nil niſi Clericalis & Apoſtolicus eſt: jam ab Apoſtolorum ac primitivæ Eccleſiæ temporibus hanc formam, quaſi hæreditario jure, hucuſque tenuit; quam prærogativam ſacrorum Canonum decretis ſancitam & approbatam, tot & tanti Summi Pontifices bullis & diplomatibus iterum & ſæpius confirmarunt; inde eſt, ut placet Auguſtino, quòd Sanctitas & Clericatus ſint elementa Religionis noſtræ: nec enim Regularibus aliis baptiꝫare, nec populo prædicare, nec pœnitentias injungere, propriè licet ex ſui Ordinis inſtituto.

Hæc autem divina penitus officia nobis cum cæteris Canonicis noſtris conjuncta & eſſe communia fateor equidem; at illud inſigni & Regali Baſilicæ Sanctæ Genovefæ Pariſienſis peculiare & præcipuum eſt, quod jam à longo tempore, & à multis ſæculis retrò elapſis, Apoſtolica ſit nuncupata; non ſolùm quòd à Clodovæo primo Francorum Rege Chriſtiano fundata & extructa, Deo O. M. ſub titulo & nomine SS. Petri & Pauli dicata fuerit, & ab ipſo B. Remigio Remenſi Archiepiſcopo ſolemni ritu conſecrata; ſed etiam quòd Summi Pontifices in ea Pariſiis, non ſecus ac Romæ apud Sanctum Petrum, rei divinæ operam in ea non ſemel dederint, ejus ſemper patrocinium ac tutelam ſtudioſè & libenter ſuſceperint, ac tandem multis prærogativis conceſſiſque titulis Cameram Apoſtolicam, in qua cauſæ Exemptorum agitantur

& dirimuntur; & Pariſienſis Academiæ Cancellariam, velut in beneficiorum cumulum in ipſa crearint, & creatas hucuſque ſanctiſſimè ſervaverint. Quæ omnia altiùs in animo inſident, quàm ut ulla unquam oblivione queant deleri.


Laborem igitur noſtrum, utcunque is eſt, æquis oculis reſpiciat velim SANCTITAS VESTRA, *quem eo conſilio ſuſcepi, ut ipſe è familia Apoſtolica Canonicorum Regularium, & è gremio Domus Apoſtolicæ ſanctæ Genovefæ Pariſienſis, Sedis etiam Apoſtolicæ in nos ſemper beneficiis pro virili reſponderem.*

Quamobrem grati animi monimentum eſto, BEATISSIME PATER, *quæ Numiſmata Summorum Pontificum ære incidenda nuper curavi, quæque ſingula ſingulam offerunt epigraphen, cujus ſenſum latentem & involutum breviter atque ſummatim pro captu meo evolverem; quæ res eò gratior futura viſa eſt, quò ſub uno, ut ita dicam, aſpectu egregia tot Summorum Pontificum dicta factave oculis omnium proponit, & ad legendum veluti per ſe invitat.*

Cui ergo meliùs, BEATISSIME PATER, *dedicaſſem opus, quod* VESTRAE SANCTITATIS *prævia benedictione per me primò inchoatum, nunc demum abſolutum eſt? In uno enim* INNOCENTIO *cæteros omnes videre mihi videor, qui clavum Reipublicæ Chriſtianæ tenuerunt, & Eccleſiæ Romanæ gubernaculum hactenus tractavere: ita ut* in perſona SANCTITATIS VESTRÆ (*ſicut magnus ille Leo refert*) illi honorentur, in quibus omnium Paſtorum

ſollicitudo cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat.

Tandem ne diutius SANCTITATI VESTRAE *graviſſimis Eccleſiæ negotiis occupatæ moleſtus ſim; ſi animum, ſi obſequium, ſi obſervantiam, quam per hoc munuſculum declaratam velim, gratam & acceptam dignetur habere, ſat amplum vigiliarum fructum videbor fuiſſe conſecutus.*



PRÆFATIO.



PRÆFATIO.

QVÆ & qualis fuerit mea ſcribendi ratio, quod inſtitutum, te candide Lector, quamprimùm monitum velim. Me nec ineptè nec præpoſterè facturum facilè ſum arbitratus, ſi Bibliothecam, cujus ordinandæ provincia mihi nuper demandata fuerat, pro Abbatiæ ſanctæ Genovefæ Pariſienſis dignitate, pro Domus amplitudine, & loci elegantia componendam, diligenter & conſiderate curarem. Sed ut id quod erat ordinate fieret, ſæpiùs cogitanti illud feliciter ſuccurrit in mentem, cujus vir præſtantiſſimus Naudæus in tractatu de ſtruenda Bibliotheca inſcripto probe meminerat, ſcilicet cuique libros qui in rem ſuam & uſum conferant, imprimis eſſe comparandos. Vt igitur omnis in hoc à me haberetur ratio & aſſiduitas, illos maxime qui ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam & ad ſummos Pontifices ſpectabant, eò diligentiùs coëgi codices, quò id potiſſimùm Domui Apoſtolicæ Sangenovefeæ pluris referre intelligebam.

Verùm ut omnibus ſuis numeris ac partibus Hiſtoriæ Pontificum Romanorum ſeries apte texeretur, nihil æque ad rem mihi viſum eſt futurum eſſe tum decori, tum adjumento, atque ſummorum Pontificum Numiſmata. Statim Romam literas ſcripſi ad noſtratem R. P. Aſſelinum, virum literatum, & antiquitatis ſedulum indagatorem, quibus eum etiam atque

etiam rogabam, ut nummos eorum numero plures, ac ſerie temporum continuatos, ſi ſatis commode poſſet, Pariſios nobis mittere vellet. Sat belle res cecidit, & quod erat in votis, ad optatum exitum perductum eſt, cùm ducentos miſit, ad quos tam meapte, quàm amicorum beneficio, totidem ferme acceſſere, qui ſummatim quadringentos conficiunt.

Vt autem ex tanta numiſmatum congerie nonnihil utilitatis emergeret, magno ſciendi deſiderio ecce repente teneor, cujus foret unaquæque effigies; quam ob cauſam; quove tempore ſingulum quodque cuſum fuiſſet numiſma; quæ & qualis inſcriptio; quis demum verus & germanus epigraphes ſenſus. Apud Italos, & apud quoſvis alios qui hanc ſcientiam tractarent, libros impiger perquiſii & inveſtigavi; ſed in perquirendo nimio plus operâ ſum abuſus. Eſt enim abunde cur ego mirer, quòd ex authorum numero non mediocri, qui laminis æreis effigies numiſmatum priſcorum Cæſarum ſcalpere curarunt, quaſque eruditiſſimis illuſtrarunt notis; nequidem unus, etiam Romæ, quid ſimile extremis, ut aiunt, digitis in Sedis Apoſtolicæ decus & gratiam attigerit. Rem indignam & inſolitam prorſus unà cum amicis eodem, quo ego, accenſis deſiderio, querebar olim, & caſu neſcio quo is ex ore excidit & elapſus eſt ſermo, me laudem ſummorum Pontificum eorum nummis contentam & concreditam, jam propè ſeneſcentem, quâ operâ, quâ arte ab hominum ſilentio atque oblivione libenter & impigre vindicaturum, niſi à tanto propoſito, & tarditas ingenii, & orationis ſiccitas revocarent. Mox amici omnes dant animos, & operam ultro pollicentur; quos inter clariſſimi viri Abbas *Bizot*, Regiis numiſmatibus cudendis præpoſitus, necnon *Ioannes Vaillant*, Regis Chriſtianiſſimi Antiquarius, uterque in indaganda antiquitate non mediocriter verſatus; ſed hic potiſſimum mihi adfuit, qui Romam undecies profectus, & ibi diu ac multùm commoratus, ſi quid in hac urbe uſpiam eſt ſcitu & notatu dignum, illud omne & tabulis conſignatum, & memoriter complectebatur, cujus me participem abſque invidia voluit, adjecto etiam nummorum Pontificio-

Digitized by Google

rum catalogo, quos in Galliis, quos in Italia paſſim deprehenderat.

Quinetiam D. *de la Boiſſiere* nobilis cælaturæ artis Scalptor, vir optimæ notæ, & in hoc cælandi genere peritiſſimus, quippe qui jam numiſmata maximi moduli Regii Archicimelii ære eleganter incidiſſet, mihi opem operamque ſuam peramanter pollicitus eſt, ac arte ſua gnaviter & ſedulò, proüt indigerem, opitulaturum perofficiosè ſpopondit.

Cùm igitur omnia, velut initâ conſpiratione, pro re noſtra facere intelligerem, & hunc futurum eſſe exitum & operis fructum, quem ipſe ſperare vix unquam auſus fuiſſem, conjicerent amici; quid de ea ſentirent Romæ Primates ac Literati, ut tentarem & quaſi olfacerem viſum eſt. Iam erat mihi aliunde de quo edita opera ad Sereniſſimum Principem Eminentiſſimum Cardinalem CIBO ſcriberem, hac nata occaſione unum alterumve de hocce conſilio in epiſtola verbum injeci, qui pro ſua ſingulari humanitate rei propoſitæ hoc mihi dare reſponſum dignatus eſt. *Conſilium tuum concinnandi Hiſtoriam Romanorum Pontificum à Martino V. ad hæc noſtra tempora, ex Numiſmatibus eorumdem Pontificum, dignum videtur, & tua præſtanti eruditione, & ſingulari pietate ac fide, quâ Sedem Apoſtolicam colis: qua in re ego quoque aliquid in lucubrationes tuas libenter conferam, ſi quis tuo nomine identidem mihi ſignificaverit, quibus in rebus ex Romanæ antiquitatis promptuario juvare ſtudium tuum poſſim. Rectè ſanè ac prudenter obſervas incuriam eruditorum, qui in hoc argumento laborare neglexerunt, in quo poterant & Romanæ Eccleſiæ faſtos, & ſuum nomen illuſtrare.* Tanti ergo Viri ſententiâ confirmatus, necnon Apoſtolicâ benedictione recreatus, ad opus illud aggrediendum meme ſic incenſum expertus ſum, ut quicquid antea reſtaret difficultatis, tum extenuari, ac omnino evaneſcere viſum fuerit.

Anno igitur 1677. ineunte, operi manum admovi; & ut D. *de la Boiſſiere* numiſmata ſcalpere inciperet, à me primò eſt conſultum atque proviſum: quæ, quò plura in dies ab eo cælabantur, eò pariter plures à me tenebantur oratiunculæ, quæ breviter, dilucidè tamen, typi ſenſum, ac inſcriptæ epi-

ẽ ij

graphes aperirent; & eò, temporis tractu, ventum eſt, ut Deo dante intra annum & ſemeſtre ſpatium, ſupremam operi addiderim manum. Me multis præſtantiſſimis & graviſſimis antiquitatis cultoribus viris plurimùm debere, palam & apertè profiteor, qui omnes ad navandam operam promptiores fuere: nullum enim in Muſæo, nullum in Cimelio, alibi nullum ſervabant ſepoſitum aut reconditum numiſma, quod illico mei non foret uſus & juris; ſint ergò gratitudinis monumentum notæ illæ ac literæ, quas infra ſingula numiſmata appoſui, quibus eorum nomina, & quid ab unoquoque acceperim, facile dignoſcere eſt.

Aperuit mihi Gazophylacium Regis Chriſtianiſſimi ſumma D. *De Carcavi*, in Majori Conſiſtorio quondam Senatoris, ac nunc ejus & Regiæ Bibliothecæ Præfecti, humanitas ac erga me benevolentia, qui ex theſauro illo omnis generis numiſmatum locupletiſſimo, ſuâ arte & induſtriâ undequaque ingenti labore collecto, quicquid libuit excerpere, libenter conceſſit: quin & in dubiis & obſcuris tam ipſe, quàm Viri clariſſimi & eruditiſſimi, qui apud eum de rebus numiſmatum, & antiquorum præſertim monumentorum, eruditionem ſpectantibus, differendi & conferendi causâ, unà conveniunt, mihi ſæpius præſto fuere.

Iuvit me & Ciaconius, fecitque ut multùm de labore meo minueretur: acceſſit quoque & R. P. Oldoinus, ejus operis Continuator, qui maximè acta Vrbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis IX. ſummorum Pontificum ſuggeſſit, ex quibus faciliùs in eorum nummorum ſenſum ac notitiam deveni.

Non poſſum ſimiliter quin cumulatiſſimas referam gratias Domino à Puteo, Equiti Romano clariſſimo, cujus pluſquam cæterorum ſunt ſummorum Pontificum numiſmata, quæ non invito domino, proüt res poſtulabat, delineanda ſategi ex ejus Muſæo, quo omnes norunt nihil elegantius, nihil cognitu dignius inveniri.

Hæc ſunt hactenus in me collata beneficia: at illud graviter dolendum, quòd per diutinam abſentiam D. *de Guenegaud*, Regis

Digitized by Google

Regis Chriſtianiſſimi apud Luſitanos Oratoris, ejus Pontificiis nummis frui minimè licuerit; ex illius enim Cimelio, velut è divite quodam emporio, ampla & lauta ſupellex mihi facile accedere potuiſſet, quæ difficiliùs aliunde fuit exquirenda & inveſtiganda.

Hiſtoriæ ſummorum Pontificum ſeriem à Martini V. Pontificatu repetii, quæ gravibus multiſque de cauſis altiùs non fuerat repetenda; primùm ne à ſpatio & curriculo Ciaconii nuper editi, tantulùm quidem deflecterem, cujus numiſmatum Pontificiorum icones, non ex altiori capite aut fonte deducti ſunt ac derivati. Secundò, quòd nulla omnino Pontificum Romanorum ante Martinum V. viſa ſint numiſmata, & Georgius Vaſari ex Paulo Iovio referat Piſanellum quendam pictorem Veronenſem, hujus Pontificis majorem nummum excudiſſe, in cujus averſa parte teſſera gentilitia Columnarum, à quibus ducebat originem, conſpiciebatur. Nummus ille quoque, in quo legitur inſcriptum, Optimo Pontifici, nonnullam redolet antiquitatem. A Martino V. autem, ad hæc uſque noſtra tempora, omnium fere Pontificum coætanea deprehenduntur numiſmata. Tertiò æquum quodammodo erat, & operæpretium, ut ab ipſo, velut à fonte & capite, meus hic nummorum ordo & ſeries deduceretur & primùm emanaret, qui in unum veluti caput, Eccleſiam ſchiſmate Petri de Luna diu diviſam ac tripartitam, & ſi dicere fas eſt, tricipitem, coëgit & conciliavit: unde ab eo pro re Eccleſiaſtica celeberrimam poſſe conſtitui epocham mihi viſum eſt.

Verumenimverò temporibus illis, anno circiter 1430. in gratiam Principum ac illuſtrium virorum incœptus fuit numiſmatum uſus, ſeu potiùs à priſcorum Romanorum ætate apud Italos reſtitutus, ex quibus ad cæteras manavit & quaſi migravit nationes. Nullum eorum authorem & artificem Victore illo Piſanello Veronenſe pictore deprehendo antiquiorem: is enim non ſolùm vultum Martini V. de quo ſuperius, ſed & virorum ſuo ævo præſtantiorum, ut Iovio placet, in cera effinxit, ac deinde metallo ſolidè fudit, unde

ingentis molis varia conflata ſunt ab eo numiſmata, putà Alphonſi Regis Siciliæ, Ioannis Palæologi, Franciſci Sfortiæ, Sigiſmundi Pandulphi, & aliorum, quæ penes me ſervantur, ejus nomine & charactere ſic ſignata, OPVS PISANI PICTORIS. Proxime ad hunc acceſſerunt Matthæus Paſtus ſeu de Paſtis 1446. Andreas Cremonenſis 1450. Ioannes Bolduc 1457. Petrus de Mediolano 1472. Sperandeus anno circiter 1500. & alii, qui in meam nondum devenere notitiam. Summæ autem ac continuatæ nummorum Pontificum antiquitatis à Martino V. teſtes eos adducimus, quos hîc ex unoquoque ipſorum delineare curavi; Eugenii IV. ſcilicet, in quo ſpectantur Græci & Armeni; Nicolai V. ubi navis; Calixti III. teſſera gentilitia; Pii II. in quo pelicanus pectus proprium dilanians, effictus ab Andrea Cremonenſi; Pauli verò III. extant plurima. *Quandiu enim vixit Paulus*, ait Platina, *ædificiis publicis conſtruendis incubuit, in quorum fundamentis numiſmata propè infinita ex auro, argento, ære, ſua imagine ſignata, ſine ullo Senatus-conſulto more veterum collocabat.* Vnde nonnulla ad nos devenerunt.

Sixtum IV. Pauli III. deceſſorem Victor Camelio ſuis monumentis commendavit, ut nomen, nummo Pontificis hujus à me hîc deſcripto, additum palam teſtatur. Sed eò tandem ventum eſt, ut numiſmata quælibet, quæ hactenus metallo fuſili tantùm, flando fabricata fuerant, feriundo cuſa videri cœperint, ipſo Victore Camelio, ut opinor, primo authore ac inventore (ullum enim eo antiquiorem deprehendere nondum licuit;) factumque eſt, ut quod rude & impolitum plane antea videbatur, multo perfectiorem formam attingeret. Hic enim artifex archetypa cuneos ac marculos mox fabricavit, quibus poſthac percuteretur nummus, ut jam erga monetam fieri conſueverat, quæ res nummarium opus mirum in modum commendavit. Hominis induſtriæ & dexteritatis teſtes ſunt aſſervata penes me varia ejuſdem numiſmata, & imprimis ſuamet effigies, quam ære eleganter ſolidam cudit.

In gratiam Iulii II. hujuſmodi nummi percuti cœperunt. Duo hîc conſpiciuntur, qui exhibent palatium, quod Iuri

reddendo extruendum curaverat: at opus nondum exquiſitè elaboratum videtur, & paulò contractius prominet. Mox pictores nobiliſſimos protulit illa ætas, qui Pontificum Romanorum diagraphicas imagines eleganter admodum delinearunt; putà Raphaëlem Vrbinatem, Iulium Romanum, ac alios, qui quidem Leonis x. Clementis VII. & Pauli III. ævo claruere. Tum egregii artifices Paduani, Ioannes ſcilicet Cavinus, & Alexander Baſſianus, ac Laurentius & Franciſcus Parmenſes, his ſucceſſere, qui artem, curam & induſtriam omnem in memoriam Iulii III. Pauli IV. Pii IV. & V. necnon Gregorii XIII. feliciter contulere. Verùm ab hoc ineunte XVII. ſæculo ad hæc uſque noſtra tempora extitere non pauci, qui ad gloriam & honorem ſummorum Pontificum, quicquid in opere cælaturæ ſitum erat, id omne veluti certatim contulere, ſcilicet,

Nicolaus Bonis, Sixti V. & Gregorii XIV. numiſmata cudit;
Dominicus Poggi, Sixti V.
Georgius Ran, Clementis VIII. & Pauli V.
Paulus Sanquiriacus, Clementis VIII & Pauli V.
Ioannes Antonius Moro vel Mori, Pauli V. & Gregorii XV.
Gaſpardus Molo, Vrbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII.
Cormannus, Innocentii X.
Gaſpardus Moroni, Alexandri VII.
Travanus, Alexandri VII.
Albertus Amerano, Clementis IX. & X.
Hieronymus Lucenti Eques, Clementis X.
Ioannes Amerano, Alberti filius, Clementis X. & Innocentii XI. nulli priorum ſecundus.

Pontificum autem ſummorum moneta longè præcedit tempore eorum numiſmata: ſexcentis enim abhinc annis cuſam reperies, uno tantùm Pontificum nomine appoſito (mitto bullas ac ſigilla plumbea, quæ mille annos excedunt.) Tertium autem ſæculum eſt, à Bonifacio ſcilicet VIII. ex quo eos habitu pontificali cum tiara ſtantes, vel cathedræ inſidentes videmus in monetis, ut in aureo nummo Eugenii IV. in hoc

opuſculo deſcripto depingitur: ille eſt Eugenius, qui primus parmam gentilitiam in moneta effinxit; priores enim Pontifices duabus petri clavibus in decuſſim trajectis, earum averſam partem ornabant, membro teſſeræ ſolùm ſuperaddito, putà columna in nummo argenteo Martini v. qui ex gente Columna ducebat originem.

Paulus autem ſecundus anno circiter 1466. primus omnium Pontificum (quantùm deprehendere licuit) caput ſuum metallo ad monetarum uſum effingere curavit, Principum Italorum exemplo. Hos itidem è veſtigio ſecutus Ludovicus XII. Galliarum Rex, cùm Mediolani, cujus Ducatum obtinuerat, moraretur, ejuſmodi cudendæ monetæ, quæ vultum atque frontem referret, facultatem conceſſit. Hinc & ad nos devenit mos iſte, ut illa capitata moneta, Gallicè *Teſtons* dicta, vulgaretur, non ſolum in ipſius Ludovici, ac Franciſci primi, ſed & Henrici ſecundi ac liberorum iſtiuſmodi denariis argenteis. Vix enim à mille annis, à Caroli ſcilicet Magni aut Calvi temporibus, Regum noſtrorum vultus in eorum pecunia apparuerat. De ſummorum autem Pontificum monetis, quas à numiſmatibus diſtinguendas cenſui, nulla hîc mentio, etiamſi earum nonnullæ ad illuſtrandam hiſtoriam non mediocri forent adjumento: cùm enim tot manibus omnium terantur, nec inelegantes, facile poterunt in ordinem ac ſeriem redigi, ac operis ab hoc diſtincti materiem non ingratam ſubminiſtrare, quæ ſolertis authoris operam & induſtriam expetit ac expectat.

Suum cuique Pontifici, quantum licuit, addixi numiſma; quæ autem huic vel illi Pontifici communia viſa ſunt, illius utplurimum eſſe feci, in cujus gratiam primum cuſa fuerant. Quid enim aliud quàm nauſeam creaſſet crebrior eorum repetitio? Sæpius enim ſuæ ſolius ſpontis impulſu artifices, lucro ac commodis plus æquo ſtudentes, numiſmatum numerum in dies adauxerunt, cùm averſam quamque partem, quæ pluribus aptari poterat, cuilibet Pontificum capiti, pro arbitrio & ſine diſcrimine accommodarunt, quales hæ ſunto, *Annona, Securitas, Providentia, Domus mea domus orationis, Claves*

Regni

Regni Cælorum, ac Navis ſancti Petri cum his lemmatibus, *Domine, adjuva nos. Jube me venire ad te. Salva nos Domine. In verbo tuo laxabo rete.* Ablutiones pedum, Aſſagia, &c.

Obſervatum velim fidem tantam non eſſe adhibendam nummis in arena fuſis, quantam iis qui ſolidè fuerunt cuſi ac percuſſi; illi enim ſæpe ſæpius adulterini ſunt, & furtim à quolibet, nec aſſentiente principe, imò fortè renitente, ficti & editi; ideoque infrequentiores ſunt, qualis hic Pauli III. cum epigraphe iſta, OMNES REGES SERVIENT EI. Et Iulii III. REIPVB. CHRIST. REX AC PATER. Aliter autem ſentiendum eſt de cuſis, qui palam & publicè nummario principum typo, deditâ operâ, ac multo labore & ſumptu percuſſi ſunt.

Id unum optabam imprimis, quod futurum erat operi congruum, numiſmata ſcilicet ſummorum Pontificum meo ſtudio inſculpta & expreſſa, ut ætate & anno pontificatus in unoquoque ſingula antecedebant, ex ordine diſponere: verùm meam fabri & cuſores deluſerunt expectationem, qui nihil penſi habuere, utrùm tam antica, quàm averſa pars nummi cujuſvis Pontificis ſuo & uni reſponderet anno; imò promiſcuè eas quandoque conſociarunt, nulla habita temporum ratione: & id cauſæ eſt cur in hujus operis contextu non par ſit & unus annorum tenor, non continuata ſervetur ſeries. Quinetiam neſcio quo fato contigit ut numiſmatum quædam ſeriùs recuperaverim, & hæc iſta non ſuo quidem, ſed præpoſtero ordine fuerunt diſtribuenda ac collocanda.

Notandum porro abhinc annis circiter quindecim nonnulla Pontificum numiſmata, ac etiam noviſſime, Romæ fuiſſe cuſa, hîc etiam expreſſa, ſcilicet Martini V. Eugenii IV. Nicolai V. Pii II. & aliorum, à quibus tanquam ab origine noſtrum opus deductum eſt, ac primò derivatum; quæ tamen admittenda, & in cæterorum ſerie depingenda cenſui, tum ut priorum Pontificum numerus, qui exiguus erat, hac non ſpernenda acceſſione accreſceret; tum etiam eò quòd averſa quorumdam pars facta ſcitu digniſſima referret ac comprehenderet.

Si paſſim tam in orthographiæ, quàm etiam forte in gram-

maticæ leges peccatur; ſi menda, inquam, in epigraphe inter legendum occurrunt, id fabrorum veriùs quàm authorum vitio factum eſſe credendum eſt, quæ ut corrigerem, nequidem unus author mihi fuit; ideo res ſicuti ſunt, oculis ſubjiciam.

Vtrùm autem in exponendo numiſmate id quod erat bene & feliciter mea oratione fuerim aſſecutus, ac genuinum ſenſum adeptus, tuum & aliorum qui juſti ſunt rerum æſtimatores, eſto judicium; non negaverim quòd in dubiis aut obſcuris, nonnunquam conjecturis uſus ſim, quod tamen his & ſimilibus voculis appoſitis, *videtur*, *arbitror*, utplurimum indicavi, quibus rem velut in medio à me fuiſſe relictam profiterer. Sunt & nonnulli præterea nummi, pauci tamen, quorum detegere ſenſum penes me nullo modo fuit, utpote qui non haberem, quod ſequerer, veritatis filum, nullam epigraphem, quæ quaſi viam monſtraret. His autem, non ſecus ac ſuſpectis aut ementitis, vix ulla fides eſt adhibenda. Nec objicias quòd eos ipſos, quos cenſeo rejectaneos, hîc admiſerim, ac depingi curaverim, illud quidem non meapte præſtiti, ſed Oldoini veſtigia, qui illos in novo Ciaconio effixerat, ſecutus planè ſum.


Habes opus (erudite Lector) plenum quidem feſtinationis & pulveris, nec ex omni parte, tantum quantum ſat eſt, limatum; eo tamen utere bonus: non infeſto, non iniquo animo ſuccenſeas mihi, quòd populariter, quòd fortè duriùs, quòd diſſolutè ſcripſerim; omnia ſemper ex animo vix ſuccedunt, & itur periculoſe quâ via trita non eſt. Rem hactenus intentatam primus omnium ſuſcepi, ut ad rei Eccleſiaſticæ & Romanorum Pontificum hiſtoriam nonnihil decoris, quantum in me eſſet, conferrem. Si quos in hoc opuſculo deprehendas errores, ſcito me nunquam Romam inviſiſſe, & ideo quicquid de hujus urbis monumentis, quicquid de locis ac templis ſcriptum eſt, illud omne, aut librorum miniſterio, aut virorum qui in ea diu degerunt, relatione didici, penes quos fides ſit.

Digitized by Google

NOTÆ CIMELIORVM,

E quibus deprompta ſunt ſingula numiſmata, quæ hîc celari curavi.

B. *Domini* Bizot *Abbatis*,
C. *Ciaconii* R. *P. Oldoini.*
D. C. R. *P.* de la Chaize, *Regis Chriſtianiſſimi à Confeſſionibus.*
P. *Dom.* del Pozzo, *Equitis Romani nobiliſſimi.*
✠ *Dom.* de Gaux, *Commendatarii Equitum S. Joan. Hieroſol.*
G. *Sanctæ Genovefæ Pariſienſis.*
H. *Dom.* de Harlay, *Cognitoris publici Senatus Pariſienſis.*
L. *Dominæ* Leſcot, *mulieris clariſſimæ.*
L. *Dom.* de Ligneville.
R. *Regis Chriſtianiſſimi.*
T. *Dom.* Troiſdames, *Ædilis Pariſienſis.*
V. *Dom.* Vaillant, *Antiquarii Regii.*
N. *Viri clariſſimi, qui nomen ſuum voluit reticeri.*
D. B. *Domni* Boeſardi, *Carthuſiani Pariſienſis.*



ẽ ij

SUMMA PRIVILEGII

Regis Chriſtianiſſimi.

AUCTORITATE Regia ſancitum eſt, ne quis *Hiſtoriam Romanorum Pontificum à Martino V. ad Innocentium XI. per eorum Numiſmata, auctore* R. P. CLAUDIO DU MOLINET, Canonico Regulari Congregationis Gallicanæ, intra VI. annos à prima editione numerandos imprimat, aut alibi impreſſam in hoc regno divendat, præter ejuſdem P. DU MOLINET voluntatem, aut eorum quibus id juris conceſſerit: hocque omnibus perinde clarum, notum, indictum habeatur, ac ſi Regii Diplomatis ſententia operis initio præfigatur, ſinive poſtponatur. Qui ſecus faxit, librorum confiſcatione, & pœnis Regio Diplomate declaratis mulctabitur. Datum apud S. Germanum in Laya, die 31. Iulii anno 1678.

De Mandato Regis.


Sign. DALENCE'.

Quod quidem Diploma in Acta Typographorum Pariſienſium relatum eſt, die 28. Septembris eodem anno ab EDMUNDO COUTTEROT, *Syndico.*

Idem R. P. C. DU MOLINET, jure ſuo ceſſit LUDOVICO BILLAINE, Bibliopolæ Pariſienſi, die 2. Auguſti 1678.

MARTINUS

Digitized by Google



MARTINUS V.

OTHO COLVMNA,

Romanus,

Electus 20. Februarii M. CCCC. XVII.

Averte mala inimicis meis, & in virtute tua diſperde illos.

I.

EXHIBET Parmam gentilitiam illuſtris familiæ *COLVMNÆ*, à qua originem duxerat MARTINUS, Otho Columna ante Pontificatum appellatus. In ejus medio ſtat columna, unde gens illa ſuam denominationem ſortita eſt. Hæc viros clariſſimos æquè ac fortiſſimos protulit, ac imprimis Joannem illum S. Praxedis Cardinalem, qui eùm in Palæſtinam profectus eſſet, ibi multa pro tuenda fide perpeſſus eſt; ac demum Romam rediens anno circiter 1220. columnam ad quam Chriſtus à Judæis flagellatus eſt, ſecum attulit, eamque in Eccleſia ſua S. Praxedis, ubi etiamnunc viſitur, collocavit. In cujus rei memoriam familiæ ipſius columnam in ſcuto depingere conceſſum eſt. Corona verò quæ columnæ inſidet, ideo appoſita dicitur, quòd Stephanus Columna diadema Imperii capiti Ludovici Bavari Romæ quondam impoſuerit.

II.

OPTIMO PONTIFICI.

TYPUS eſt urbis Romæ inſidentis clypeo, prout in antiquis numiſmatibus Cæſarum depingitur, niſi quòd Victoriolam non geſtat, ſed ejus loco bilancem ſuſtinet, per quam inſignis hujus Pontificis juſtitia declaratur. Nam ut


eſt apud Platinam: » Ex ore ejus nullum verbum tam crebrò quàm juſtitiæ nomen prodibat. Ad ſuos converſus, maximè ad eos qui provincias & civitates gubernabant: *Diligite juſtitiam qui judicatis terram.* » Appoſita autem inſcriptio, OPTIMO PONTIFICI, denotat ſummam ejus humanitatem; qui titulus olim Veſpaſiano, Trajano, Antonino, ex Imperatoribus Romanis præſtantioribus delatus eſt. De ſingulari autem MARTINI manſuetudine ac humanitate ita narrat idem authorin ejus vita: » Cardinalis ab Innocentio VII. creatus, ob eam rem à natura ſua non diſceſſit; humanior enim quàm antea factus, patrocinium ſuum omnibus præſtabat. » De ejus autem obitu hæc dicit: » Sepelitur comitante Populo Romano, comitante Clero, nec aliter flente, quàm ſi Eccleſia Dei, ſi urbs Roma, unico atque OPTIMO PARENTE orbata eſſet. »

III.

LABANTES VRBIS INSTAVRAVIT ECCLESIAS.

HIC nummus in honorem Martini V. reſtitutus, noviſſimè vulgatus eſt: nam reddita Eccleſiæ pace, ædificiorum ſacrorum reſtaurationi incubuit. Ab eo enim, Ægidio Cardinali Viterbienſi teſte, » Vaticana porticus extructa eſt, Lateranenſis Baſilica vermiculato opere ſtrata, lignea teſtudine obtecta, ſacris imaginibus ornata: SS. Apoſtolorum ædes reſtauratæ. »

Obiit 20. Februarii 1431. anno ætatis 63. Pontificatus 14.





EUGENIUS IV.

GABRIEL CONDOLMERIUS,

Venetus;

Electus 3. Martii M. CCCC. XXXI.

Adjutor & protector es tu, Domine, ne derelinquas me, Deus meus.

I.

CONDOLMERIÆ gentis ſcutum exponitur apud Venetos non ita claræ, nec tamen obſcuræ; ait enim Platina: „ Hic Venetiis honeſtâ familiâ populari, ſed antiquâ or„ tus eſt, quæ poſtea, ipſo Pontifice renuntiato, Patritia„ tum obtinuit.

II.

SVB EVGENIO PAPA IIII.
ANNO CHRISTI M. CCCC. XIL. VNITI SVNT.

NUMMUS hic aureus elegantiſſimus, & ferè unicus, è gaza Regis Chriſtianiſſimi depromptus, cuſus fuit in memoriam pacis initæ in Concilio

Florentino inter Græcos & Latinos, ſub hoc Pontifice EUGENIO IV. cujus vides effigiem ornatam Pontificalibus inſignibus.

III.

GRÆCI ARMENI IN SYNODO FLORENTINA CVM SEDE APOSTOLICA.

IN averſa autem nummi parte ſpectare licet effigiem S. Petri, ad cujus pedes procumbunt duo viri habitu & ætate ſpectabiles. A dextris ipſe eſt Imperator Joannes Palæologus, diademate redimitus, qui Græcorum nomine fidem & obſequium devovet ſummo Chriſti Vicario, idemque præſtat Armenorum Legatus à ſiniſtris; cùm ſcilicet in Synodo Florentina Græci & Armeni cum Latinis convenêre, ut habet inſcriptiptio: SVB EVGENIO PAPA QVARTO, ANNO CHRISTI M. CCCC. XXXIX. VNITI SVNT GRÆCI ARMENI IN SYNODO FLORENTINA CVM SANCTA SEDE APOSTOLICA. De hac autem tam celebri concordia Platina agit his verbis: „Concilium Ferrarienſe „EUGENII nomine Cardinalis S. Crucis inchoavit; eò proficiſcitur & EUGENIUS, quòd adventurum Conſtantinopolitanum Imperatorem Palæologum „intellexerat. Imperator autem Ferrariam ingrediens, non aliter ſuſceptus ab „EUGENIO eſt, ac Romani Imperatores ſuſcipi conſuevere. EUGENIUS autem duas Eccleſias jampridem diſſidentes, in unum corpus redigere cupiens, „anno Domini 1438. habitâ ingenti ſupplicatione, celebratâque Spiritus ſancti „Miſſâ, Concilium unà cum Imperatore Græcorum & Patriarcha Conſtantinopolitano, ſedente Imperatore condignâ ſede, aliiſque Græcis è regione Pontificis, primò quæſitum eſt vellent-ne tam Latini quàm Græci, è duabus Eccleſiis jampridem diſſidentibus unam fieri; ad quam vocem omnes clamaverunt „placere & velle, modò rationibus illa confutarentur, quæ tantæ diſcordiæ cauſa fuerant. Diſputabatur quotidie ea de re ab his qui tum à Græcis tum à Latinis delecti fuerant. Verùm cùm peſtis Ferrariæ inoleviſſet, eodemque loco „non ſine magna incommoditate ſtaretur, Florentiam transferre Concilium „placuit. Eò itaque ventum eſt. EUGENIUS ibi habito conventu, diſcuſſique Græcorum & Latinorum contentione, tandem eò proceſſum eſt, ut Græci „rationibus victi faterentur Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere; utque „in azymo ſine fermento, triticeoque pane Corpus Chriſti conficeretur; ac Purgatorii locum eſſe crederent; poſtremò faterentur Romanum Pontificem verum „Chriſti Vicarium, Petrique legitimum ſucceſſorem, primum in orbe locum „tenere, cui & Orientalis & Occidentalis Eccleſia meritò pareret. Abeuntibus „autem Græcis, re hoc modo compoſitâ, Armeni etiam cum fide noſtra convenere, ſublatis crebris diſputationibus de eorum erroribus, promulgatiſque „EUGENII litteris ſuper ea re, quæ rationem concordiæ oſtenderent.„ Hæc Platina. Unum addam quòd in noſtro Muſæo ſervatur Numiſma æreum maximum, in quo ſpectatur Joannes Palæologus Eques eo vultu & comitatu, quibus urbem Ferrariam ingreſſus eſt.

Digitized by Google

IV.

QVEM CREANT ADORANT.


EUGENII Pontificis coronatio depingitur in hoc nummo, recenter quoque cum ſubſequenti edito & reſtituto: hic enim die 11. Martii 1431. ante fores Baſilicæ Principis Apoſtolorum per Lucidum Comitem Diaconum Cardinalem ſuæ coronationis inſignia ſuſcepit,

V.

NICOLAI A TOLENTINO SANCTITATE CELEBRIS.


DIE quinta Junii 1446. in feſto Pentecoſtes beatum Nicolaum Tolentinum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, faſtis Sanctorum ſolemni qua decebat pompa aſcripſit.

Obiit 23. Februarii 1447. anno ætatis 64. Pontificatus 16.



Digitized by Google

NICOLAVS·V·



NICOLAUS V.

THOMAS LVCANVS,

de Sarzana,

Electus 6. Martii M. CCCC. XLVII.

* * * * * * * *

I.

TOMASVS LVCANO DI SARZANA
M. CD. IIIL.

NULLUM illi aliud ſtemma gentilitium quàm claves Petri; ſiquidem humilis fortunæ parentes nactus eſt. Nomen etiam patriæ ejus Sarzanæ fuit; hîc inſcriptum ab eo qui hoc numiſma, ad hujus Pontificis memoriam recolendam, reſtituit.

II.

ANNO IVBILEI M. CD. L.
ALMA ROMA.

III.

RESERAVIT ET CLAVSIT ANNO IVBILEI M. CD. L.

SPECTARE licet portam ſanctam, quæ anno Jubilei à Summo Pontifice reſeratur & clauditur. Indicat autem Jubileum fuiſſe à Nicolao promulgatum anno 1450. de quo hæc Platina. « Tanta autem in iſto hominum multitudo Romam acceſſit, quanta nunquam antea. Totum ferè annum in celebritatibus inſumpſit pius Pontifex, ſtationes quotidie frequenrans cum Cardinalium cœtu. Cavit etiam diligentiſſimè, ne abundante tanta multitudine, commeatus, & omnia ad victum neceſſaria deeſſent. » Nummus hic tertius in gratiam ALEXANDRI VI. reſtitutus, etiam NICOLAO V. invenitur aſcriptus.

IV.

SEDIT ANNOS VIII. DIES XX. OBIIT XXV. MART. M. DC. LV. ANDREAS GVAGALOTIS.

HOC numiſma mole magis quàm arte conſpicuum, antiquitatem præ ſe fert, ita ut ipſius Pontificis ævo fabricatum fuiſſe facilè credatur. Ejus autem inſcriptio apertè indicat poſt ipſius obitum fuiſſe cuſum, ſiquidem mortis diem exprimit, hoc pacto: SEDIT ANNOS OCTO, DIES VIGINTI; OBIIT VIGESIMA QVINTA MARTII, MILLESIMO QVADRINGENTESIMO QVINQVAGESIMO QVINTO. Qua die hæc plaga Eccleſiæ, cujus navis clavum dignè admodum gerebat, inflicta eſt. ANDREAS autem GVAGALOTIS in ima area inſctiptus, fuit ejuſdem artifex.

Obiit 24. Martii 1455. anno ætatis Pontificatus 9.

CALIXTUS

CALIXTVS·III·

I II III



CALIXTUS III.

ALPHONSVS BORGIA,

Hiſpanus Valentinus,

Electus 8. Aprilis M. CCCC. LV.

* * * * * * * * *

I.

HOC VOVI DEO.
VT FIDEI HOSTES PERDEREM ELEXIT ME.

VSQUE adeò infenſus fuit Turcis, ut ſimul ac Pontifex renunciatus eſt, votum illud, diu antè animo conceptum, emiſerit, quod etiam chirographo firmavit, ſe Turcis videlicet bellum indicturum, hiſce verbis à Platina relatis. » Ego Calixtus Pontifex Deo omnipotenti » voveo & ſanctæ individuæ Trinitati, me bello, male» dictis, & quibuſcumque rebus potero, Turcos Chri» ſtiani nominis hoſtes ſæviſſimos perſecuturum. » Ut autem quod promiſerat reipsâ præſtare poſſet, Prædicatores per totam Europam ſtatim miſit, qui omnes Chriſtianos in Turcas animarent, quique facultatum aliquid & opum ſuarum ad tantam expeditionem conferrent. Ex his autem facultatibus ad ſexdecim triremes (quarum nonnullæ hîc repræſentantur) Romæ ædificatas, in hoſtem miſit, ut quod DEO VOVERAT adimpleret, & FIDEI HOSTES PERDERET, ſicque opus ad quod electum ſe non dubitabat, conſummaret.

II.

NE MVLTORVM SVBRVATVR SECVRITAS.

CUM pecunias undequaque providus Pontifex ad tantum bellum pararet, parvos ſumptus in ædificiis fecit, ut ait Platina. Mœnia tamen urbis diſrupta, & ſolo æquata propugnacula, ne paterent inimicorum incurſibus, reſtituit, VT MVLTORVM, nempe Romanorum, SECVRITATI (ſicut hîc legitur) conſuleret.

III.

ALPHONSVS BORGIA GLORIA HISPANIÆ.

EXHIBETUR ſcutum gentilitium familiæ Borgiæ, ex qua CALIXTUS duxerat originem, quæ tantum geſtat in ſtemmate. Clariſſima eſt apud Hiſpanos in diœceſi Valentina. Claritatem tamen non gentis modò, ſed & totius regni Pontifex iſte, ex eo aſſumptus, ut univerſæ præeſſet Eccleſiæ, non mediocriter ampliavit; unde GLORIA HISPANIÆ rectè hîc prædicatur.

Obiit 2. Auguſti 1458. anno ætatis 80. Pontificatus 4.





PIUS II.

ÆNEAS SILVIUS PICOLOMINIUS, Senenſis,

Electus 20. Auguſti M. CCCC. LVIII.

* * * * * * * * *

I.

PONTIFICATUS ANNO SECUNDO M. CCCC. LX.

STEMMA claræ gentis Picolominiæ, ex qua PIUS, Æneas Silvius Picolominius antea dictus, hic cernitur, quæ ejus ſuprema dignitate ſplendidior effecta eſt. Corſinianum quoque nativitatis locum ita illuſtrem reddidit, ut pagum ipſum muris cinctum, & eleganti templo ornatum, in civitatem, novo ſenatusconſulto, erexerit, ac Epiſcopali ſede ornaverit: quæ in gratitudinis monumentum, ab eo PIENTIÆ nomen deinceps accepit. Prodiit nummus iſte anno 1460. ut in eo notatur, in quem incidebat ſecundus Pontificatûs PII annus.

Digitized by Google

II.

VELOCITER SCRIBENTIS SOBOLES. NE TANTI ECCLESIÆ PACISQVE AMANTISSIMI DELEATVR MEMORIA.

NIHIL certè magis huic Pontifici congruum tribui potuit, quàm libri & volumina, quæ ſæpe ſæpius pertractabat & evolvebat, ut memoria ſingularis doctrinæ, quæ in operibus ab eo editis deprehenditur, poſteris commendaretur. Majorem vitæ partem conſumpſit in ſcribendo, ſive cùm Pontifici Nicolao fuit à Secretis & Epiſtolis, ſive cùm ipſe Baſileenſis Concilii Notatius extitit. Fuit enim Scriba in Synodo illa celeberrima, & litterarum Apoſtolicarum Abbreviator. Unde fortè dicitur hìc, VELOCITER SCRIBENTIS SOBOLES. Reſtitutus eſt autem nummus iſte, NE TANTI ECCLESIÆ PACISQVE AMANTISSIMI Pontificis, ut inſcribitur, DELEATVR MEMORIA.

III.

ALES VT HÆC, CORDIS PAVI DE SANGVINE NATOS.

CUM Pelicanus ſit ſymbolum pietatis parentum erga filios, ſicut Ciconia filiorum erga parentes; ipſe Pontifex PIUS re & nomine, hoc numiſmate, quod ipſius ævo videtur cuſum, innuere voluit ſingularem quam habuit erga Eccleſiam populoſque ſibi commiſſos charitatem: ſiquidem vigiliis & laboribus eorum causâ toleratis fractus ac penè exhauſtus, vitam fudit anno 1464. unde meritò comparari potuit huic aliti, quæ PASCIT DE SANGVINE NATOS. Et ideo ÆNEAS PIUS, ſicut ille Trojanus à Virgilio decantatus, jure dictus eſt. Numiſmatis autem hujus artifex fuit Andreas Cremonenſis; lemmatis author, Campanus, qui ejuſdem geſta literis commendavit.

IV.

OPTIMO PRINCIPI.

OPTIMUS PRINCEPS meritò PIUS appellatus eſt & humaniſſimus, ita ut hoc de eo prædicare non dubitarit Ciaconius: » Humaniſſimum Pontifi-» cem fuiſſe omnes mortales ſciunt. »

Obiit 2. Auguſti 1464. anno ætatis 59. Pontificatus 6.



PAULUS II.

PETRVS BARBVS,

Venetus,

Electus 31. Auguſti M. CCCC. LXIV.

Bene fac, Domine, bonis & rectis corde.

I.

ANNO M. CD. LXIV. ROMA.

FUIT natione Venetus, ex familia Barbo, vel Barba dicta, eò ipſe clarior, quòd matrem habuerit Polyxenam, neptem Eugenii IV. ex gente Condolmeria. Utriuſque inſignia hîc conſpiciuntur, tranſverſa ſcilicet faſcia leoni ſuperaddita. Hoc autem numiſma in numero reſtitutorum computandum eſt. Illud tamen ſtemma invenitur quoque in alio ejuſdem nummo, edito dum Cardinalis purpurâ decoraretur.

II.

SACRVM PVBLICVM APOSTOLICVM CONSISTORIVM, PAVLVS VENETVS PP. II.

ILLUD eſſe arbitror quod congregavit PAULUS anno 1470. in quo admiſſi ſunt etiam Legati Chriſtianorum Principum, ac præſertim Italorum, ut hîc depingitur, quibus ſuaſit ut cunctis ſedatis diſcordiis, in unum fœdus convenirent adverſus Turcas, qui ferè jam totâ Epiro captâ, in Illyricum irruere parabant. Plures itaque ac ſolemnes ideo ſupplicationes indixit. Obſervat autem ex hoc nummo Victorellus, Cardinales antequam rubra bireta deferrent, quæ ipſis PAULUS II. tribuit, pileis in Conſiſtoriis jam uti conſueviſſe.

III.

PABVLVM SALVTIS.

QUÆNAM ſunt oves in hoc nummo depictæ? niſi fortè illæ errantes, quæ, Platinâ teſte, degebant in oppido Poli in Æquicolis, quarum nonnullæ errorem confeſſæ ſunt, & redierunt ad caulam Agni immaculati Chriſti, PABVLVM SALVTIS in ea acceptura. Hinc inde aſſident ſummi Paſtores PETRUS & PAULUS, revertentes admiſſuri.

IV.

AVDIENTIA PVBLICA PONTIFICIS MAXIMI.

CELEBREM ac ſolemnem audientiam tribuit Marchioni Ferrarienſi, qui hîc ſupplex Pontificem veneratur, cùm anno 1471. die 1. Aprilis illum publicè Ducis titulo inſignivit. Ejus in urbem ingreſſûs pompam ſic deſcribit Ciaconius: » Tanto apparatu progreſſus eſt, qualis nunquam eo ſæculo viſus, 138. » mulis pecuniâ onuſtis, veſtibus ſericeis & aureis, ipſe ornatus ſerico villoſo cæ» rulei coloris, cui Cardinales multi, Senatus, Populuſque Romanus obviave» rant, quique à Papa honorificentiſſimè exceptus eſt. »

V.
PAVLVS PAPA II.

QUos videtis hîc ad Pontificis pedes procumbentes, ii ſunt Magiſter Equitum Rhodiorum, & ipſi Equites, qui ſuppetias ab eo expoſtulant. De illis Platina hæc habet. » Paulus verò compoſitis hoc modo Italiæ rebus, cùm in- » telligeret militiam Rhodiorum militum, ob inopiam ad nihilum redigi, eo- » rum Magiſtrum ac Primatum Religionis ad ſe vocat, qui poſt frequentes con- » ventus ad ſanctum Petrum habitos, tædio animi & ſenio confectus, moritur.

VI.
HILARITAS PVBLICA.

MONUMENTUM eſt feſtivæ illius pompæ ac publicæ lætitiæ, quâ ob pacem adeptam munificentiſſimus Pontifex populum recreavit, ut ſcripſit » Platina. » Paulus ad otium converſus, ad imitationem veterum, ludos quàm » magnificentiſſimos inſtituit. Ludi autem erant, pallia octo, quæ curſu certan- » tibus in Carniſprivio proponebantur. Singulis diebus currebant ſenes, adole- » ſcentes, juvenes, Judæi: currebant & equi, equæ & aſini, tanta cum om- » nium voluptate, ut omnes præ riſu pedibus ſtare vix poſſent. Curſus autem & » ſtadium erat ab Arcu Domitiani uſque ad Ædes S. Marci. » Quæ quidem ita populo grata extitere, ut in eorum memoriam nummum hunc, à priſcis deſumptum, fieri curaverit.

VII.
SOLVM IN FERAS PIVS BELLATVR PASTOR.

HOc numiſmate, nuper ad decus & gloriam hujus Pontificis reſtituto, declaratur zelus quo fervebat in inſectandis hæreticis. » Cùm enim ei nun- » ciatum eſſet (teſte Platinâ) in Poli oppido in Æquicolis poſito, multos hære- » ticos ineſſe, dominum loci cum viris octo & fœminis ſex comprehenſos, & ad » ſe perductos, cognito hominum errore, ignominiâ notavit, & quidem gra- » viſſimâ. » Unde illud Auguſtini dictum rectè ipſi tribuitur, SOLVM IN FERAS (id eſt hæreticos qui Eccleſiam, vineam Domini, evertere conantur) PIVS BELLATVR PASTOR. Fortè etiam alludit ad ſolemnem illam venationem, quam mito apparatu edidit Duci Ferrarienſi in campo Merulæ.

VIII. XII.
HAS ÆDES CONDIDIT ANNO CHRISTI M. CD. LV.

ELEGANTISSIMUM conſtruxit palatium apud ſanctum Marcum Romæ, quod incoluit. Dicit autem Platina: » Statuas veteres tota urbe conquiſitas » undique, in ſuas illas ædes, quas magnificentiſſimas ſub Capitolio ad ſanctum » Marcum extruebat, congerere ſtuduit, adjecto etiam S. Conſtantiæ ſepulchro,

„ fruſtra reclamantibus Monachis loci, qui poſtea mortuo PAULO, ſepulchrum „ illud porphyreticum à Sixto Pontifice repetiere & obtinuere. „ Subjungit etiam de hoc palatio Ciaconius: „ Unum hoc PAULO vitio datum, quòd ad ædificandum palatium Pontificium S. Marci, amphitheatrum illuſtriſſimum opus, quod „ Imperatores Veſpaſianus & Titus tantis impenſis ædificaverant, verſus dexteram partem euntibus ad Baſilicam Lateranenſem, ademptis lapidibus detruncarit.

IX.

ANNO CHRISTI M. CCCC. LXX. HAS ÆDES CONDIDIT.

TRIBVNA S. PETRI.

ROMA.

HUJUS Pontificis vitæ author Platina refert eum ad ædificandum maximè fuiſſe propenſum: non enim ſolùm palatium illud, de quo ſuperiùs, ædificavit apud S. Marcum; ſed & in Vaticano apud S. Petrum, fornicem conſtruxit, ſub qua majus altare conſtituit, ac decenter & ſplendidè decoravit. Quod idem author innuit his verbis: „ Ædificavit etiam ſplendidè ac magnificè, tum „ apud S. Marcum, tum in Vaticano. „ At non diu ſtetit hæc fabrica, ſiquidem ejus ſucceſſor Julius II. novi templi molem, novum orbis miraculum inchoavit.

X.

ANNO CHRISTI M. CCCC. LXX. HAS ÆDES CONDIDIT.

XIV.

ANNO CHRISTI M. CCCC. LXV. HANC ARCEM CONDIDIT.

QUANDIU vixit PAULUS, ædificiis publicis conſtruendis incubuit, in quorum fundamentis, teſte Platinâ, numiſmata propè infinita ex auro, argento, ære, ſua imagine ſignata, ſine ullo ſenatuſconſulto, more veterum collocabat. Unde plura hujuſmodi in noſtris cimeliis ſervantur, quæ hîc delineari curavi.

XI.

LÆTITIA SCHOLASTICA.

HUNC nummum ab Academiæ Bononienſis Alumnis, in PAULI Pontificis gratiam, ob præſtita beneficia editum fuiſſe conjicio ex his literis A. BO. id eſt Academia Bononienſis, quæ in ima ejus area videntur.

XIII.

XIII.

CONVIVIUM PUBLICUM ERGA POPULUM ROMANUM.

IN hilaritate illa publica, de qua ſuperiùs egimus, convivium populo dedit magnificentiſſimum, teſte ipſo Platinâ, qui fortè conviva extitit. Ait enim: » Hoc modo, rebus PAULUS, ad otium, compoſitis, converſus, populo Ro- » mano, ad imitationem veterum, ludos & epulum lautiſſimum inſtituit.


CAPUT PAULI II.


PAULO VENETO II. ITALICÆ PACIS FUNDATORI.

DE eo ſiquidem cecinit Janus Vitalis hoc diſtichum.

Aurea pax, felix concordia, copia rerum,
Tempora ſacrarunt, PAULE SECUNDE, *tua.*

Obiit 25. Iulii 1471. anno ætatis 54. Pontificatus 7.





SIXTUS IV.

FRANCISCVS DELLA ROVERE,

Savonenſis,

Electus 9. Auguſti M. CCCC. LXXI.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.

SACRI CVLTOR.

HUjus Pontificis imago inſigni hoc pietatis titulo decoratur, SACRI CVLTOR, quam publicis demonſtravit monumentis, cùm nondum Pontifex, ſacram divi Petri ad Vincula ædem ruinæ proximam reſtauravit; & varios tractatus pios, præſertim de B. Virginis Conceptione edidir, quam deinde peccati originalis labe infectam aſſerere, ſub anathemate vetuir.

I.

FRANCISCVS DELLA ROVERE DI SAVONA. M. CD. LXXI.

NUMMUS hic reſtitutus gentilitiam teſſeram familiæ Roboreæ, vulgò DELLA ROVERE, exhibet, de qua SIXTUS oriundus eſt. Apud Savonam natus fuerat, & anno 1471. ut hîc annotatur, in Summum Pontificem electus, Eccleſiæ regimen ſuſcepit.

II.

HÆC DAMVS IN TERRIS, ÆTERNA DABVNTVR OLYMPO.

IN hoc numiſmate conſpiciuntur ſancti Franciſcus & Antonius de Padua, Ordinis Minorum præcipui, cujus ſectator & Generalis SIXTUS extiterat, tiaram ejus capiti imponentes. Quod quidem matri gravidæ in ſomnis, ad futuri eventus augurium, manifeſtatum quodammodo fuerat. Ait enim Onufrius Panvinus in ejus vita: „Videre per ſomnium viſa eſt mater, ante partum edi„tum, infantem à beatis Franciſco & Antonio cucullam & cingulum piè & ſan„ctè indui.„ Hîc autem tiaram, cucullæ loco, ipſi impoſitam effinxerunt.

III.

OPVS VICTORIS CAMELIO.

PRÆCLARUM Pontificis hujus pietatis ac munificentiæ monumentum hîc exhibetur. Conſpicere enim eſt duas Reginas pedibus ejus procumbentes & ſupplices, ut ejus gratiam deprecarentur. Hæ ſunt Cardetta ſeu Caroletta Cypri, & Catharina Boſſinæ Reginæ, quas teſte Panvino, omnibus bonis ſpoliatas, ad ſe confugientes, benignè ſuſcepit, ſuâque munificentiâ ſublevavit. Hæc autem verba, OP. VICTORIS CAMELIO, ſignificant opus eſſe Victoris Camelio inſignis artificis hujus ævi, qui plura edidit numiſmata.

IV.

GLORIOSA DICTA SVNT DE TE, CIVITAS DEI.

V.

CITA APERITIO BREVES ÆTERNAT DIES.

Digitized by Google

IX.

CONSTITVIT EVM DOMINVM DOMVS SVÆ.

HI tres nummi cuſi fuere ad denotandum Jubilei annum 1475. Paulus II. diplomate dato 1470. tempus Jubilei, quod ad trigeſimum tertium annum contraxerat Urbanus VI. ad vigeſimum quintum quemque reduxit, ut faciliùs plures hujus gratiæ beneficio fruerentur. At Paulo è vivis ſublato, hanc celebritatem, apparatu quàm potuit maximo, SIXTUS exhibuit, & Ferdinandum Arragonium Neapolitanum Regem cum ingenti comitatu Romam venientem excepit. Quartus hic nummus coævus eſt. Quintus autem ac nonus reſtituti.

VI.

IVLIVS CARDINALIS NEPOS IN OSTIO TIBERINO.

JULIUS *della Rovere*, SIXTI nepos, Epiſcopus Oſtienſis ac Cardinalis, avunculi muneribus auctus, urbis ſuæ Oſtienſis mœnia, turres, ac propugnacula diruta reſtauravit, & in grati animi monumentum hoc numiſma, ipſius beneficiorum perenni memoriæ dicavit.

VII.

CVRA RERVM PVBLICARVM.

CUM SIXTUS Pontifex operibus publicis aut condendis aut reſarciendis ſedulus inſtaret, imprimis pontem veterem Janiculenſem, diu antè disjectum, quem ruptum meritò cives appellabant, publicæ commodati & decori, à fundamentis, magnâ curâ & impenſis multis, ex Tiburtino lapide reſtituit; ſuoque de nomine SIXTUM vocari juſſit. Additque Ciaconius plurima numiſmata ex auro fuiſſe eo in ponte incluſa, quorum exemplar hîc nummus refert.

VIII.

PARCERE SVBIECTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS.

CONSTANTIA.

HUjus Pontificis conſtantia maximè ab Onuphrio in ipſius vita commendatur. Ait enim: „Illud memoratu dignum, quòd Florentino bello ardente, cùm ab adverſariorum Legatis, hujus controverſiæ, quæ juſta videbatur, occaſione ad Concilium citatus fuiſſet, ipſe ingenti animo ſummaque CONSTANTIA reſpondiſſe fertur, ſe Concilium quidem libenter admiſſurum, ubi ſe ſperaret omnium illorum Principum criminibus patefactis, res

BIBLIOTECA ... ROMA ...

» plurimas Eccleſiæ ablatas ab eis repetiturum.» Additque »Rem Romanam Se-
» diſque Apoſtolicæ dignitatem ita intrepidè & egregiè tuebatur, ut non facilè
» cuiquàm eſſet ei aliquid moleſtiæ impunè inferre.» Unde meritò hoc illi proprium tribuitur:

PARCERE SVBIECTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS.

Obiit 13. Auguſti 1484. anno ætatis 71. Pontificatus 14.



Digitized by Google

INNOCENTIVS·VIII·



INNOCENTIUS VIII.

IOANNES BAPTISTA CIBO, Genuenſis,

Electus 29. Auguſti M. CCCC. LXXXIV.

In innocentia mea ingreſſus ſum.

I.

ANNO DOMINI M. CD. LXXXIV.



RTUS eſt ex familia Cibo, clariſſimâ apud Genuenſes & Neapolitanos, quæ jam Sedi Apoſtolicæ Bonifacium IX. præbuerat. Hanc è Græcia manaſſe ferunt, & ab ipſa teſſera gentilitia nomen accepiſſe. Eſt enim in ea tranſverſa faſcia, variis quadratis ſeu cubis onuſta, qui Græcè κύβοι dicuntur, cæruleo & albo colore alternis æquiſve ſpatiis confecta. Crux autem rubea quæ nitet in argentea ſuperficie ad ſcuti caput, publicum ac proprium eſt Genuenſium inſigne, quo hæc familia, ob res præclarè pro patria geſtas, honeſtata fuit. Octo etiam Cardinales eximios Eccleſiæ à quadringentis annis protulit, quos inter univerſo orbi Chriſtiano nunc prælucet Sereniſſimus Eminentiſſimuſque ALDERANNUS CIBO.

II.

ECCE SIC BENEDICETVR HOMO.

HUNC quem vides ad ſummi Pontificis pedes procumbentem, ipſe eſt Zizimus, Bajazetis Othomanorum Imperatoris frater, qui ejus perſecutionis vitandæ gratiâ, ad Equites Rhodios confugit, à quibus benevolè ſuſceptus, ab eorum Magiſtro Albuſſonio ad Regem Galliæ Carolum VIII. miſſus eſt. Ut ipſius ſecuritati magis conſuleret, tandem ad ſummum Pontificem INNOCENTIUM

deductus fuit. Cùm autem ad ipſum acceſſiſſet, genuflexus pedes oſculatus eſt, quod ægrè admodum feciſſe nonnulli ſcriptis tradiderunt. Sed nihilominus benedictione Apoſtolicâ donatum fuiſſe teſtatur, qui hunc nummum, in ejus facti memoriam nuper reſtituit. Nonnulli tamen ad hoc numiſma referunt locum illum Ciaconii: » Benedixit Venetis, eoſque abſolvit ab interdicto quo aſtricti
» erant à Sixto IV. »

III.

IVSTITIA, PAX, COPIA.

TRES illæ puellæ præcipuas hujus Pontificis exprimunt virtutes, quæ ex earum ſymbolis perſpicuè dignoſcuntur. Scilicet ex bilance IVSTITIA, ex ramo oleæ PAX, & ex cornu, COPIA, ſeu liberalitas. Quæ quidem INNOCENTIO optimè conveniunt, ut ex his Ciaconii verbis colligitur. » Bello Nea-
» politano confecto, ad pacis ſtudia INNOCENTIUS Pontifex converſus, cives
» aliquot Romanos, quorum capita erant Margarii & Santacrucii, armis ferali-
» bus diſſidentes, item Urſinos & Columnenſes diſcordes, ſummâ diligentiâ
» conciliavit. Cúmque nihil antiquius duceret quàm urbis quieti copiæque ſtu-
» dere, toto ejus Pontificatu, & annonæ maxima ubertas, & urbs à graſſato-
» ribus latrociniiſque libera, quibus bello durante maximè obnoxia fuit, cùm
» eſſet in judicandis criminibus inexorabilis. » Ritè ergo IVSTITIÆ ejus ſeveritas, PACIS beneficium, & COPIÆ ubertas, hîc celebrantur.

Obiit 25. Iulii 1492. anno ætatis 60. Pontificatus 8.



ALEXANDER

ALEXANDER·VI·



ALEXANDER VI.

RODERICVS BORGIA LENZVOLVS, Valentinus,

Electus 11. Auguſti M. CCCC. XCII.

Ad Dominum cùm tribularer clamavi, & exaudivit me.

I.

RODERICO LENZVOLA DICTVS BORGIA SVMMVS PONTIFEX M. CD. XCII.

ARMA ejus gentilitia, in hoc nummo reſtituto deſcripta, bipartita cernitur tam paterno quàm materno ſtemmate. Aſcivit enim ſibi cum nomine BORGIA ejuſdem familiæ inſignia, ut avunculi ſui Calixti III. votis, qui illud ipſum optaverat, obſequeretur; quodquidem his verbis annotavit Ciaconius. » Qui quamquam gente LENZOLIA ortus eſſet, BORIÆ tamen vel BORGIÆ nomen, quo cum gentilitiis inſignibus ab avunculo donatus fuerat, avito relicto, » uſque ad obitum retinuit. »

D

II.

CORONAT.

Coronationis ſuæ decora, tiaram ſcilicet, accepit à Franciſco Picolominio Senenſi Cardinali (qui poſt ipſum S. Petri Cathedram tenuit) in gradibus ante fores Baſilicæ Principis Apoſtolorum, majorum more, Cardinalibus, Clero, & populo Romano aſtantibus, pridie Idus Septembris 1492. quod hîc repræſentatur. Petrus autem Delphinus, qui aderat, ait in quadam epiſtola: „Sic triplici corona redimitum, ad Lateranum viâ pannis obtectâ, triumphorum imaginibus ornatâ, parietibuſque aulæis & tapetibus decoratis, proceſſiſſe, „ad Aramque maximam Lateranenſem, ſyncope correptum, immobilem redditum, aquâ conſperſum convaluiſſe.„

III.

RESERAVIT ET CLAVSIT ANNO IVBILEI M. D.

Nummus hic reſtitutus annum Jubilei 1500. denotat. Ter autem hujus Pontificis juſſu Jubilei celebritas fuit indicta, totidemque bullis. Primâ datâ 13. Kalend. Januarii 1499. Jubileum Romæ promulgavit. Secundâ tempus ejus prorogavit ad feſtum Epiphaniæ, anni ſcilicet 1501. Tertiâ autem, „ut longinqui populi (ait Polydorus Virgilius) eò proficiſcendi labore levarentur, „Pontifex quaquaverſum Legatos miſit, qui eam cæleſtem gratiam impertirentur Chriſtianis, quibus per bella, per itinera, per inimicitias minùs Romam „petere liceret.„ Videturque quòd nondum extra urbem Jubilei gratia ſeſe extenderat, & ad exteras provincias ac regna, ut poſtmodum conceſſum eſt, pervenerat.

IV.

ARCEM IN MOLE DIVI HADRIANI INSTAVRAVIT, FOSSA AC PROPVGNACVLIS MVNIVIT.


Ut ſuæ ac civium ſecuritati conſuleret providus Pontifex, ſibi urbique ob ingruentia bella jure metuens, arcem quàm potuit munitiſſimam conſtrui curavit in mole Hadriani, vulgò Caſtellum S. Angeli dictâ, quam turribus & propugnaculis firmiſſimis, foſſiſque munivit; eòque, cùm Carolus VIII. Galliæ Rex, copiis inſtructus Romam adiit, anceps utrum pacificus foret ejus ingreſſus, ſe recepit.

V.


OB SAPIENTIAM CVM FORTVNA CONIVNCTAM.

ALLUDIT, ni fallor, hoc numiſma ad gentilitiam teſſeram familiæ Borgiæ, quæ bovem geſtat. Quamquidem, ut ſuperiùs vidimus, aſſumpſit, cùm Romam accerſitus ab avunculo Calixto III. ſummo Pontifice creato, Cardinalis effectus eſt. Per varios dignitatum gradus ipſe tandem ad ſummum Pontificatum fuit evectus, quod & ſingulari ejuſdem prudentiæ & ſecundæ fortunæ, ſeu rectiùs divinæ Providentiæ, beneficio aſcribendum eſt. Hoc ſatis apertè innuit Angelus ille, qui jugum, id eſt totius Eccleſiæ regimen, ipſi, ſub figura gentilitii bovis deſignato, imponit. Sapientia autem, ac ſingularis ejus prudentia, commendatur à Politiano his verbis ad eundem directis. » In te ſiquidem » ſapientia ſingularis, præſtans animi magnitudo, qua mortales omnes crederis » antecellere. » Nonnulli rectiùs fortè volunt non hîc jugum depingi, ſed linteum, ad quod nomen Lenzuola, Alexandro quondam inditum, alludit, proſperamque fortunam plenis velis adumbratam exprimi.

Obiit 18. Auguſti 1503. anno ætatis 72. Pontificatus 11.




I 

II 

3 G 3 G





PIUS III.

FRANCISCVS PICOLOMINIVS, Senenſis,

Electus 22. Septembris M. D. III.

* * * * * * * *

I.

GLORIA SENENSIS PICOLOMINI.

PIus III. fuit Pii II. ex ſorore nepos, ſicut Cardinalis creatus. Avunculi ex Picolominiorum gente ſtemma ſibi aſcivit, quod hîc extat; ſic etiam Pontifex renunciatus, ejuſdem nomen aſſumpſit, Piusque Tertius dictus eſt, familiæ ſuæ, ac PATRIÆ SENENSIS GLORIA, decus & ornamentum, ut in hoc numiſmate, in ejus honorem reſtituto, prædicatur.

II.

SVB VMBRA ALARVM TVARVM.

VIR ille ante Pontificem genuflexus, Cæſar eſt Borgia, filius Alexandri III. quem ante Pontificatum ſuſceperat, qui cùm poſt patris deceſſum, pecunias & pretioſa quæque ſurripuiſſet, (fortè hæreditario jure ea ſibi competere præſumens) cúmque molem Hadriani militibus, vim Patribus congregatis illaturis, circumcinxiſſet, ad PII creationis, ſeu exaltationis, nuntium, cum parte ſuorum, ut refert Panvinus, Romam venit, Patribuſque gratias egit, quòd virum optimum Reipublicæ Chriſtianæ præfeciſſent, ipſumque Pontificem imprimis adoravit, ejúſque patrocinium contra Urſinos ſibi infenſos deprecatus eſt,

ut ab eorum inſultibus, ſub Pontificis ALARVM VMBRA & patrocinio protegeretur. Quod in hoc nummo pariter reſtituto repræſentatur.

Obiit 20. Octobris 1503. anno ætatis 64. Pontificatus 1.



Digitized by Google



JULIUS II.

IVLIANVS ROBOREVS LIGVR,

Savonenſis,

Electus 4. Novembris M. D. III.

Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.

I.

IVSTITIÆ PACIS FIDEIQVE RECVPERATOR.

HIc nummus percuſſus videtur anno Pontificatus Julii primo, „ cùm „ ipſe (ut habet Ciaconius) PACIS & tranquillitaris publicæ ſtudioſus „ ad pacandas Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ provincias, variis præliis decennio fa- „ tigaras, omnes nervos intenderet: nam ipſius induſtriâ & authoritate icto fœ- „ dere inrer Galliæ & Hiſpaniæ Reges, pax orbi terrarum per triennium conci- „ liata fuit. „ Quæ quidem hîc per puellam cum oleæ ramo, dextram Fortunæ orbis terrarum præbentem, deſignatur.

II.

IVRI REDDENDO.

ÆDIFICIUM hoc in nummo repræſentatum, palatium eſt quod Themidi ad jus reddendum conſtruxit JULIUS, de quo in ejus geſtis hæc legun- rur. „ Duo inſignia ædificia, quæ abſoluta cum veterum Romanorum ædificiis „ de ſplendore contendiſſenr, inchoavit. Primum dicas ingenris Palatii, non lon- „ gè ab Æde divi Blaſii ad ripam Tiberis jacta fundamenta, ut ibi Romani om- „ nes Magiſtratus Jus dicerent.

III.

CONTRA STIMVLVM NE CALCITRES.

NUMISMATIS hujus explanationem Lukius referri debere cenſet ad bel- lum à JULIO Pontifice Alphonſo Eſtenſi, Ferrariæ Duci, illatum.

IV.

OSCVLATÆ SVNT.

CONVENIUNT in hoc nummo IVSTITIA & ABVNDANTIA, quæ ſub JULII regimine Romæ viguerunt. Fuit autem IVSTITIÆ tenaciſſimus, ut de ipſo retulit Cardinalis Ægidius: „ Eo enim regente, tanto metu afficiebantur „ improbi, ut nemini inferrent injuriam.

V.

TEMPLI PETRI INSTAVRATIO. VATICANVS MONS.

CUM in ædificiis publicis inſtaurandis deditus eſſet JULIUS, occaſionem na- ctus inſignium arthitectorum Bramantis ac M. Angeli, cornm conſilio & ope- râ, vaſtam illam ac ingentem ſacri ædificii Principis Apoſtolorum in Vaticano mo- lem,

lem, quæ modò perfecta conſpicitur, veteris Baſilicæ parte dejectâ, feliciter inchoavit. Primus autem lapis ab ipſo poſitus eſt Sabbato in Albis anni 1506. cui inſerta fuere hujuſmodi numiſmata, ac alia cum hac epigraphe.

ÆDEM PRINCIPIS APOSTOLORVM IN VATICANO VETVSTATE ET SITV SQVALLENTEM, A FVNDAMENTIS RESTITVIT IVLIVS II. PONTIFEX MAXIMVS, ANNO M. D. VI.

VI.

PEDO SERVATAS OVES, AD REQVIEM AGO.

Cum Julius, qui erat animo magnus, acer & conſtans, varia geſſiſſet bella, ut à pluribus occupatum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ patrimonium reperiret, & Eccleſiaſticæ dignitatis invaſores ab eo ejiceret, meruit Italiæ Liberatoris titulo inſigniri. Cúmque pace ac optatâ requie potitus fuiſſet, totus in boni Paſtoris officio adimplendo incubuit, ut OVES, quas tyrannis devictis & expulſis, enſe ſervaverat, PEDO SERVATAS, AD REQVIEM AGERET deduceretque. De ipſo autem hæc cecinit Baptiſta Mantuanus.

Publica res Chriſti tandem revocata tyrannis,
Reſpirare poteſt, & ducere gaudia victis.

VII.

Hic nummus affinitatem habet cum ſecundo, idemque oculis ſubjicit palatium, quod Themidi & Juri reddendo dicavit Julius, ut ſuperiùs annotavimus, quod ſatis apertè indicat figura Juſtitiæ cum bilance juxta latomum cedentem lapides ad opus ejuſdem Palatii.

VIII.

PORTVS CENTVM-CELLÆ.

Anno 1508. ineunte Decembri, primum lapidem ad civitatis veteris arcem extruendam miſit Julius, in quo duplicis generis inſeruit numiſmata: in altero enim legitur PORTVS CENTVM-CELLÆ, ut hîc: in altero autem ſolummodo, CENTUM-CELLÆ, quod à Pariſi de Craſſo Diariis accepi. Civitas autem vetus, vulgò *Civita Vecchia*, antiquitùs PORTVS CENTVM-CELLÆ dicebatur.

IX.

TEMPLVM VIRGINI LAVRETANÆ. M. D. VIIII.

Virgini Deiparæ, quæ in templo Lauretano veneratur, cultui plurimùm addictus fuit hic Pontifex. Ejus enim ædem multis affecit muneribus ac beneficiis, in quorum memoriam nummus iſte cuſus eſt. » Non ſolùm enim illam in ſuam peculiarem tutelam ſuſcepit, & Pontificium ſacellum nuncupa- » vit, ſed & ipſius miniſtros Pontificum familiares eſſe voluit. Crucem etiam ar-

„ genteam, auro ornatam, & priſco opere celatam, 40. librarum pondo obtu-
„ lit, in cujus baſi inſcribi voluit, IVLIVS PONTIFEX MAXIMVS DEIPARÆ
„ VIRGINI LAVRETANÆ DICAVIT, ANNO M. D. X. IN HOC SIGNO
„ VINCES.

X.
ANNONA PVBLICA.

TYPUS hic ANNONÆ, qui exhibet nobis puellam cum ſpicis & cornucopia, deſumptus eſt ex antiquis numiſmatibus priſcorum Cæſarum, deſignatque hujus Pontificis ſingularem providentiam, quâ ſuccurrit Italiæ, bellorum incurſibus vaſtatæ, & frumenti penuriâ laboranti, quæ caritatem ANNONÆ variis in locis induxerat.

XI.
TVTELA.

QUANDOQUIDEM muneris eſt vigilantiſſimi Paſtoris oves ab invaſoribus defendere, Pontifex iſte, non pedo ſolùm, ſed & gladio, ut Italiam tutaretur, uſus eſt, quam tandem liberam reddidit & pacatam. In hujus beneficii monumentum, non modò ei, ut diximus, Liberatoris Italiæ titulus aſcriptus eſt, ſed hoc numiſma quoque, in PVBLICÆ TVTELÆ argumentum, poſteris conſecratum.

XII.
BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE DOMINI.

POPULI acclamatio in hoc numiſmate deſcripta, BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE DOMINI, emiſſa videtur à cive Bononienſi, cùm JULIUS, ut Bononiæ ſub Joannis Bentivolii dominio laboranti præſto eſſet, ad illam ſe contulit, & Bentivolium perterritum fugere coëgit. Læti verò cives incruentâ victoriâ extra mœnia effuſi ſunt, gratiaſque illi acturi, & in urbem excepturi liberatorem ſuum acclamabant, BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE DOMINI. Bononiam ergo ingreſſus eſt die S. Martini, & exinde Bononienſes eam lætitiam poſteris mandaturi, inſtituerunt, ut ævo perpetuo, Magiſtratus in templo divi Martini quotannis ſacro interſit, & currentium equorum ſpectaculum, præmio propoſito, exhibeatur. Quinimo eò proceſſit ipſorum gratitudinis ſtudium, ut nummum hunc, ad perpetuam facti memoriam, ut videtur, cudentes, JULIUM, non ſolùm Pontificem maximum, ſed & Cæſarem appellarint, id eſt virtute bellicâ ſtrenuum, qui Julii Cæſaris adinſtar, Bononiam VENIT, VIDIT, VICIT.

Obiit 24. Februarii 1513. anno ætatis 71. Pontificatus 10.



L E O X.

IOANNES MEDICES,
Florentinus,

Electus 9. Martii M. D. X III.

Ad Dominum cùm tribularer clamavi, & exaudivit me.

I.
LIBERALITAS PONTIFICIA.

NIHIL ad hujus Pontificis LIBERALITATEM commendandam poreſt addi his quæ de ipſo prædicavit Panvinus. » Fuit (inquit) omnium qui ad hanc diem fuerant, Romanorum Pontificum liberaliſſimus. Nihil ardentius quàm LIBERALITATIS ſummam gloriam, à qua cæteri Sacerdotes abeſſe longè conſueverant, in omni vita expetivit; eos principe loco indignos exiſtimans, qui nequaquam beneficâ & largâ manu fortunæ muneribus uterentur. » Quod quidem in hoc typo obſervare eſt, in quo LIBERALITAS ipſa plenam cornucopiam effundit. Congeries autem muſicorum inſtrumentorum appoſita, innuit illud ipſum quod idem

author in ejus geſtis retulit, ſcilicet, quod muſicos magnopere amaverit, cùm eſſet ejus artis peritiſſimus.

II.

SCVTA COMBVRET IGNI.

TYPUS hic eſt pacis, prout exprimitur in nummis antiquis Veſpaſiani, Antonini, & aliorum, & prout deſcribitur à Pſalte Regio, *Confringet arma, & ſcuta comburet igni.* Pax autem illa eſt, quam cum Franciſco I. Galliarum Rege firmavit, quando illum Bononiæ excepit; & quam urbi Romæ dedit, cùm Columnenſes & Urſinos à tot ſæculis inter ſe diſſidentes, fœdus ſancire curavit; in cujus ſignum utriuſque familiæ inſignia, in eadem parma juncta, conſpecta ſunt. Unde Cardinalis Ægidius ipſum Pontificem alloquens ait. » Dicam & aliud » ſanctæ tuæ pacis opus inauditum. Vidimus utriuſque Senatoris ornamenta, » Urſinorum atque Columnenſium, quo ſpectaculo nihil à multis ſæculis vidit » urbs Roma lætius, ut multi ſpectantium cœlum acturi gratias ſuſpexerint, » plures lachrymas fuderint, tanquam faſſi felicitatem ſæculi, qui in horum Se- » natorum amicitia, perpetuam factionum calamitatem depulſam ſentirent. » Eodem tempore vetuſtum nummum repertum eſſe tradit, in quo utriuſque familiæ inſignia juncta erant.

III.

CAROLO V. Cæſari fœdere conjunctus LEO, ut Parmam & Placentiam Eccleſiæ dominio ereptas recuperaret, Pontificiis cohortibus præfecit Federicum Gonzagam, Mantuæ Principem, quibus adjunctæ ſunt Germanorum ac Helvetiorum auxiliares copiæ; quæ quidem ita ſtrenuè ſe geſſerunt, ut ab eorum partibus victoria ſteterit, eæque urbes fuerint recuperatæ. In cujus victoriæ ſignum, currus iſte LEONI, quaſi de hoſtibus triumphanti, in ſui nummi averſa parte decretus eſt. Tanto autem gaudio ex ejus victoriæ nuntio accepto in villa Manlia affectus fuit, » ut non multò pòſt, priuſquam cœnaret obriguerit, » ſenſimque exorta eſt ei febris, levis quidem, ſed quæ ei ſuprema fuit. »

IV.

ROMA.

TYPUS urbis ROMÆ, prout depicta eſt in veterum numiſmatibus, hîc conſpicitur; ut moneat poſteros ſe multis titulis C. P. id eſt charitiſſimo Parenti eſſe devictam: ejus enim Pontificatum omnium lætiſſimum ac beatiſſimum vidit, teſte Onuphrio. Quare in gratitudinis monumentum Senatus Populuſque Romanus non hunc nummum modò, ſed & ſtatuam ei in Capitolio dicarunt cum hac inſcriptione.

OPTIMO PRINCIPI LEONI X. MED. IOAN. PONTIF. MAX.
OB RESTITVTAM INSTAVRATAMQVE VRBEM,
AVCTA SACRA, BONASQVE ARTES,
ASCITOS PATRES, SVBLATVM VECTIGAL,
DATVM CONGIARIVM
S. P. Q. R.

Digitized by Google

V.

VICIT LEO DE TRIBV IVDA.

FERDINANDUS Ugellus in Additionibus ad Ciaconium ait: » Hæc ſcri- » benti mihi allatum nunquam antea viſum, & quod non facilè inveniri po- » teſt nomiſma, cujus ſolum titulum Cardinalis Ægidius ſcriptis commendavit. » In altera ejus facie Leo, cui Angelus coronam affert, pede ſub dextro, quo » quaſi manu uti ſolet, ſphærulam tenet; in ambitu illa ſententia eſt expreſſa, » VICIT LEO DE TRIBV IVDA. In altera SS. Petri & Pauli imagines, & » ſub illis ſcutaria Mediceorum parma regno, Pontificiſque clavibus decorata. » Et verba S. P. S. R. LEO PONTIFEX MAXIMVS, ſpectantur. » Ex hac Ugelli nummi hujus, quem nondum deprehendi, deſcriptione, delineationem effingi curavi. Significat autem ſecundùm mentem Cardinalis Ægidii, quòd ſicut Chriſtus, qui dicitur LEO DE TRIBV IVDA, venit in mundum pacem mittere non gladium; ſic, ipſum alloquens LEONEM Pontificem Chriſti vicarium, » Te duce pacis » cultores evaſimus. Videmus te LEONE Principe fieri, quæ fecit, cùm ſe ter- » ris oſtendit LEO DE TRIBV IVDA. » Quæ autem fuerit illa pax, in præcedenti numiſmate vidimus.

VI.

GLORIA ET HONORE CORONASTI EVM.


TESSERA gentilitia familiæ Mediceæ, quæ principatum apud Florentinos obtinuit, ex qua LEO duxit originem.

Obiit 1. Decembris 1521. anno ætatis 47. Pontificatus 9.



Digitized by Google

ADRIANVS·VI·



ADRIANUS VI.

ADRIANVS.......
Trajectenſis,

Electus 9. Januarii M. D. XXII.

* * * * * * * * *

I.

SPIRITVS SAPIENTIÆ.

NON vulgaris hujus Pontificis eruditio, cum cæleſtis ſapientiæ dono conjuncta, famâ orbem repleverat. Ob doctrinam enim Lovanienſis Academiæ Cancellarius deſignatus eſt, quod munus per plures annos ritè obivit; & Carolo V. Cæſari in præceptorem traditus fuit, ut ejus animum literis imbueret. Sapientia autem ita ſingularis in eo enituit, ut eum Cæſar ipſe ſummum Miniſtrum Hiſpaniæ deſignaverit, qui Regni clavum eo abſente teneret. Unde ad ſupremum Reipublicæ Chriſtianæ regimen evocatus, magnam de ſe ſpem fecerat; ſed omnium vota mors immatura decepit, fortè quòd (ut cenſuit Platina) ſæculum illud turbulentum tali Pontifice dignum non fuit. In hoc autem numiſmate ejus doctrina per libros, SAPIENTIA autem per Spiritum ſanctum, qui ubi vult ſpirat ut ſua dona infundat, deſignantur.

Obiit 23. Septembris 1523. anno ætatis 65. Pontificatus 2.

CLEMENS

CLEMENS·VII·



CLEMENS VII.

IVLIVS MEDICES,

Florentinus,

Electus 19. Novembris M. D. XXIII.

Domine refugium factus es nobis à generatione & progenie.

IS primus inter Pontifices creditur barbam aluiſſe. Nam cùm apud Molem Adriani per ſeptem menſes fuiſſet detentus, in his redactus anguſtiis, inediâ laborans, ac ſqualore ſordeſcens, barbam radere neglexit. Unde cùm barbatus è carcere proceſſiſſet in publicum, in hoc ſtatu, qui virum gravem & populis venerandum magis decere videtur, exinde remanſit. Quod quidem cæteri Pontifices ejus ſucceſſores hucuſque obſervarunt. Invenitur quidem nummus Julii II. cujus vultus barbam etiam prolixam habet; at cùm ſit unicus, cæteri verò ejuſdem Pontificis bene multi ſint imberbes, hujus novitatis author dici non debet, præſertim cùm omnia ſucceſſoris ejus, Leonis X. numiſmata, faciem etiam imberbem exhibeant.

I.

ET PORTÆ CÆLI APERTÆ SVNT.

NUMMUS iſte annum Jubilei deſignat, in quo, malleo aureo portam ſanctam aperuit CLEMENS, ut moris erat. At bellici tumultus Italiam commoventes obſtiterunt ne ad ejus gratiam promerendam undequaque Romam advenæ ac peregrini accurrerent.

II.

EGO SVM IOSEPH FRATER VESTER.

URBIS Romæ à Caroli V. Cæſaris copiis expugnatione Pontifex perterritus, in Adriani arcem ſe recepit, ex qua cùm nullum eſſet effugium, eum in poteſtatem ſuam redacturum milites citò ſperabant. At Hugo Moncata Dux cohortium Cæſaris, tanti ſceleris impietate deterritus, acceptis obſidibus, Innocentio ſcilicet Cibo, & Nicolao Rodulpho Cardinalibus, in arcem venit, & cum Pontifice pacem confecit, ea tamen conditione, ut Columnis & ſequacibus veniam daret, quam Papa re & nomine CLEMENS libenter conceſſit, Repræſentatur itaque in hoc numiſmate ſub ſpecie Joſephi in gratiam fratres admittentis, concives ſcilicet Romanos, qui ab ipſo defecerant.

III.

POST MVLTA, PLVRIMA RESTANT.

IN Chriſto à Judæis flagellis cæſo, exhibet hic nummus ſummum ejus in terris Vicarium, à Cæſaris militibus ærumnis affectum, obſidione cinctum, ac carcere detentum, ita ut poſt multa verbera, quibus à Judæis percuſſus eſt Chriſtus, plurima adhuc reſtent quibus ab impiis quotidie cæditur in membris, cùm per illos juſti exercentur, & ſic adimplentur quæ deſunt paſſionibus Chriſti. Quod maximè evenit, cùm ipſe Pontifex ac Cardinales à Cæſarianis copiis tam gravia mala perpeſſi ſunt.

IV.

CLAVDVNTVR BELLI PORTÆ.

CUM per ſeptem menſes captivitate detentus fuiſſet Pontifex, & urbs Roma à Germanis direpta; CLEMENS nihilominus injuriæ illatæ immemor, non ſolùm pacem anno 1529. ſancivit cum Carolo V. ſed ita etiam egit, ut inter ipſum Cæſarem, & Franciſcum Galliæ Regem eadem conciliaretur. Videtur ergo in hoc numiſmate Diſcordia catenis conſtricta juxta Jani templum, quod olim pacis tempore clauſum remanebat. Unde ad eam deſignandam, aptè hæc verba, CLAVDVNTVR BELLI PORTÆ, ex Virgilio deſumpta, apponuntur: Et mulier face arma comburens depingitur.

V.


VT BIBAT POPVLVS.

IMITATUS eſt Moyſen pius Pontifex, qui ſitienti populo aquam præbuit. Nam in urbe Vetana, miræ altitudinis puteum conſtrui curavit, duas ſcalas coclides ſingulari artificio confectas habentem, per quas equi & muli, aquâ onuſti, aſcendere poſſent. Cujus tamen ſuperiorem partem abſolvit Paulus III. Eo autem fine illum effodit, ut plebi huic, aquarum penuriâ laboranti, velut alter Moyſes ſuccurreret, ac de ea POPVLVS BIBERET.

VI.

ANCEPS diu hæſi utrùm nummum iſtum tanquam genuinum hîc admitterem, quòd Lukius eum tribuat Carolo V. Cæſari, dicatque ſignificare de Mauris apud Tunetum victoriam, quod etiam galea ſub victoris pedibus ſuppoſita videtur innuere. At cùm in gaza Regis Chriſtianiſſimi & alibi quoque eum typum deprehenderim cuſum in nummo CLEMENTIS VII. ideo hîc addendum duxi; hiſtoriamque Joſeph ac fratrum ejus, in II. nummo delineatam, repræſentare nonnullis viſum eſt.

Obiit 26. Septembris 1534. anno ætatis 57. Pontificatus 11.





Digitized by Google

Digitized by Google



PAULUS III.

ALEXANDER FARNESIVS,

Romanus,

Electus 12. Octobris M. D. XXXIV.

Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

NON eſt faſtui aſcribendum quod hîc DIVI titulus PAULO Pontifici legatur inditus, cùm non ſolùm Romanis Cæſaribus, dum etiam viverent, olim aſcriptus fuerit, ſed nonnunquam etiam Regibus Chriſtianis, quod frequentiſſimum fuit præterito ſæculo, quo degebat PAULUS, ut in variis etiam numiſmatibus videre eſt. Habetur in Gaza Regis Chriſtianiſſimi nummus argenteus maximus Ludovici XI. Francorum Regis, cum hac epigraphe: DIVI LVDOVICI FRANCORVM REGIS CHRISTIANISSIMI SACRA EFFIGIES. Servatur alius penes me Imperatorum Federici & Maximiliani, cujus hæc eſt inſcriptio: DIVI FRIDERICHVS PATER ET MAXIMILIANVS FILIVS IMPERATORES ROMANI. Tertius invenitur apud illuſtriſſimum D. de Harlay, Senatus Pariſienſis Cognitorem Catholicum, Philippi II. Hiſpaniæ Regis, in cujus ambitu hæc habentur: DIVO PHILIPPO TRIVMPHATORI, HISPANIARVM REGI. Quineriam Aretino hic legitur titulus inditus in ejus numiſmate: DIVVS ARETINVS, FLAGELLVM PRIN-

CIPUM. Si ergo hic titulus honoris ſæpius Regibus, Principibus, & aliis delatus fuit; mirum videri non debet, ſi ſummo Chriſti Vicario, qui SANCTITATIS nomine, nullo refragante afficitur, etiam tribuatur.

I.

NEC PRIMVS TERTIO NEC SECVNDVS. FVTVRA VIRVM OSTENDENT.

DUo lemmata hîc deprehenduntur. Altero in ambitu nummi deſcripto, PAULUS TERTIUS adæquatur duobus aliis Paulis, primo ſcilicet & ſecundo, qui ob res præclarè geſtas eximii inter Pontifices habentur; ſicque intelligenda ſunt hæc verba: NEC PRIMVS TERTIO major eſt, NEC SECVNDVS. Altera autem inſcriptio in medio nummi ſita, prædicat ſpem de eo à Pontificatus ſui initio conceptam, quæ nullo modo fuit irrita, ita ut jure dictum fuerit, FVTVRA VIRVM OSTENDENT. Ait enim Onuphrius in ejus vita: « Nec defuit ſpes, nam Pontificatum adeptus, populi Romani Capitolini Officiorum « Curialium privilegia confirmavit, & auxit; Eccleſiarum prædia temerè locata « vindicavit; & ita ſe in adminiſtranda Republica geſſit, illuſtri quodam in ſpeciem diverſarum virtutum temperamento, ut Pontificis ſimul & Principis nomen tueretur.

II.

SAVLE, SAVLE, QVID ME PERSEQVERIS. VAS ELECTIONIS.

NIHIL aliud innuere videtur hic nummus, quàm PAULI electionem, qui, ut Jovius ſcripſit, « non ſyngraphis ſuffragiorum ſubſignatis, & de more « in ſacram urnam conjectis, ſed conſenſu & præclara voce totius Senatus Pon« tifex eſt renuntiatus. » Viâ autem, ut aiunt, Spiritus ſancti ſic electus, verè tanquam alter Paulus, VAS ELECTIONIS à cælo factæ, eſt reputandus.

III.

DOMINVS CVSTODIT TE, DOMINVS PROTECTIO TVA.

QUI ſint iſti Equites percuſſi fulmine, non tamen læſi, ſed incolumes & ſalvi evadentes, deprehendere nondum licuit. Si tamen conjecturis uti fas eſſet, dicerem hunc nummum fortè cuſum fuiſſe in memoriam à fulmine ſervati PAULI Pontificis, cùm iter faceret antequam Pontificatum eſſet adeptus, ad hoc maximè inductus inſcriptione illa quæ in ambitu legitur, DOMINVS CVSTODIT TE, DOMINVS PROTECTIO TVA, & delineatione typi qui idipſum repræſentat.

IV.

CURRUS ille triumphalis PAULO decretus fuit, « cùm Peruſinos Eccleſia« ſticæ dominationis jugum detrectantes, « facili bello (ut ait Ciaconius) per« domuiſſet;

„ domuiſſet; & oratotes eorum, ad rogandam veniam, ſupplicum more, & Atra-„ tos, venire coëgiſſet. „ Præit pax cum ramo oleæ, quam etiam in curru gerit potiùs quàm palmam, ut intelligatur optimum parentem, magis de pace populo conceſſa, quam de victoria reportata gaviſum fuiſſe.

V.

ANNONA PONTIFICIS.

PONTIFICIÆ pietatis monumentum eſt erga populum, ANNONÆ penuriâ, ob bellorum incommoda ac terræ ſterilitatem, laborantem.

VI.

SECVRITAS TEMPORVM.

VIII.

POPVLI ROMANI SECVRITAS.

HI duo nummi pacem & tranquillitatem publicam, quæ PAULI Pontificatus initia commendarunt, deſignat. De quibus hæc ſcribit Onuphrius. „ Bene haud dubiè cum illo actum eſt, cùm procul à publico odio, in quo Cle-„ mens temporum calamitate ſtatim incidit, ipſe meliori ſorte, divinâ certè pro-„ videntiâ, ad feliciora ſervaretur. Id quod inde maximè videre licuit, cum mor-„ tuo Clemente, ſecurâ domi pace, mitâ cæli elementiâ, lectâ paſſim agrorum „ copiâ & ubertate, partâque victoriâ annus longè omnium ejus ætatis inſignior, „ PAULI III. Pontificatus initia nobilitavit. Ita omnes qui luctuoſa Adriani & „ Clementis tempora evaſerant, ſe tunc primùm natos crederent, ſalutem & for-„ tunas ſuas in tuto poſitas arbitrarentur, exiſtimarentque expiatis tot cladibus, „ invectam eſſe aurei ſæculi felicitatem.

VII.

SECVRITATI PERPETVÆ.
PAVLVS III. PONTIFEX MAXIMVS, LEONIANAM AGGERIBVS COMMVNIVIT.

AD tutelam urbis, Populique Romani ſecuritatem, Vaticanum ſuburbium, quod urbs Leonina dicebatur, muris, propugnaculis, aggeribuſque communiendum præcepit. „ Hanc curam demandans Alexandro Vitellio (ut refert „ Onuphrius) qui præſidiis operibuſque bellicis præerat, ut Roma ad orientem „ ſolem, vaſta intus, & antiquis utique mœnibus à frequentia ædium remotis, „ tectè communiri non poterat, vel parvis copiis defendi, certum ſaltem & tem-„ porarium ad ſalutem perfugium, in repentino periculo, per Ælium pontem, „ ad Vaticanas ædes populo pararetur.

IX.

OMNES REGES SERVIENT EI.

NUMMUM iſtum expoſuit Lukius, dicitque cuſum fuiſſe, cùm Carolus V. Venetorum Reſpublica, & PAULUS Pontifex, fœdus contra Turcarum Imperatorem inierunt, qui inſulam Corſicam, imò totam Italiam invadere tentabat. Innuit ergo nummus hic omnes Reges & Principes Chriſtianis legibus aſtrictos, Romanam Eccleſiam ut matrem debere diligere, eam armis tueri, ac ipſi in his redactæ anguſtiis ultro præſto eſſe. Ecce ſub figuris iſtis Pontifex, &, ut opinor, Andreas Doria claſſis Cæſareæ Præfectus, quem PAULUS enſe pileoque donatum, & Apoſtolica benedictione munitum, ad hanc expeditionem dimittit.

X.

DOMVS MEA, DOMVS ORATIONIS.

NUMMVM hunc referri poſſe arbitror ad id quod Onuphrius de PAULO III. ſcripſit. « Interea Pontifex depravatis Clericorum moribus corrigendis, novem graviſſimos & doctiſſimos viros delegit, qui libello indito, quo reformationis præcipua capita comprehenderunt, Pontifici obtulerunt, ut prophana & ſcandala à ſacris locis abigeret. » Et ſic DOMVM DEI DOMVM ORATIONIS, non negotiationis, aut ſpeluncam latronum & impiorum ampliùs eſſe non pateretur.

XI.

FOEDERE TVO DEVS.

DIRIGENTVR PEDES NOSTRI IN VIAM PACIS.

MONUMENTUM eſt pacis initæ inter Carolum V. Cæſarem, & Franciſcum Galliarum Regem, mediante Pontifice: cùm enim apud Nicæam unà conveniſſent, inducias annuas jam in Belgio conceptas, & promulgatas ad novem annos, ſolemni tabularum aſtipulatione firmarunt, ac tandem pax omnino apud Creſpeium in Gallia ſancita eſt, & in Abbatia Canonicorum Regularium ſancti Joannis Sueſſionenſis ab utriuſque Regis Oratoribus charactere firmata. Quod quidem fœdus Dei nutu initum, per Iridem pàcis ſymbolum deſignatur. Hæc autem inſcriptio, DIRIGENTVR PEDES NOSTRI IN VIAM PACIS, ſignificat PAVLVM, ineundæ pacis Gallicæ, per lilium cum iride deſignatæ, gratiâ, Nicæam contendiſſe.

XII.

ALMA ROMA.

VRBEM Romam publicis ædificiis ornare ſategit PAULUS. Legitur enim in Additionibus ad Ciaconium: « Præſtans opus Ædium Pontificiarum urgere non prætermiſit, Sacellum Paulinum præcipuè, aulamque regiam nuncu-

„ patam, ac urbem adverſus furentes Turcarum conatus munivit. „ Unde VRBS ROMA ab ipſo reſtituta, ampliata, & ornata, hîc conſpicitur.

XIII.

HARVM ÆDIVM FVNDATOR.

XXIII.

FARNESINA DOMVS CVRA EIVSDEM IMPENDIISQVE A SOLO EXCITATA.

SUBJICITUR oculis Palatium Farneſinum, quod elegantiſſimum Romæ conſtruxit PAULUS III. Illud tamen in eo reprehenditur, quòd Amphiteatrum Veſpaſiani, opus toto orbe celeberrimum, Pauli II. veſtigiis inſiſtens, ex parte diruerit, ut lapides ad ejuſdem Palatii fabricam conſtruendam inſervirent.

XIV.

TVSCVLO RESTITVTO.

RVFINA.

DOMUS eſt quam apud Tuſculum, nunc Freſcati, ſuburbano receſſu commodam conſtrui curavit: RVFINA vulgò dicta eſt, & in loco amœniſſimo ſita. Nec hanc modò, ſed & urbem ipſam Tuſculum bellorum injuriis dirutam reparavit, in cujus beneficii monumentum hic nummus editus eſt.

XV.

ΦΕΡΝΗ ΖΗΝΟΣ ΕΥΡΑΙΝΕΙ.

Dos Iovis exhilarat.

AD hujuſce numiſmatis ac ejus inſcriptionis Græcæ expoſitionem hæc ſcribit Lukius. „ Juvenem in nummo Ganymedem conjicio, lilia, quæ gentilitiam PAULI teſſeram ornant, permiſſu Jovis humectantem, cum hac inſcriptione, DOS IOVIS EXHILARAT. Neque enim inſolens Eccleſiam liliis conferre inter ſpinas enaſcentibus. Hanc Sytio preſſam æſtu fovet ac refocillat Pontifex, copias Cæſaris augendo, duces peritos mittendo, pecuniam, nervum belli, ſubminiſtrando. „ Hæc Lukius. At ego his adjicerem lilium repræſentare Galliam, quod rigans Aquarius per Ganymedem deſignatus, ut creſcat, innuit PAULUM erga Gallos ſe præſtitiſſe beneficum, ſaltem cùm ejus operâ optatæ pacis fructus uberrimos collegerunt. Hæc autem verba Græca, ΦΕΡΝΗ ΖΗΝΟΣ alludunt ad nomen FARNESINVM Pontificis. Scribendum eſt autem in infima area non ΕΥΡΑΙΝΕΙ, ſed ΕΥΦΡΑΙΝΕΙ, exhilarat, ſicque intelligendum hoc lemma. Sicut aqua, quæ eſt dos cæli ac Jovis, lilia exhilarat ea rigando; ſic FARNESIVS exhilaravit Gallos, per lilia deſignatos, cùm pacem ejus induſtriâ adepti ſunt.

Digitized by Google

XVI.

ANNO IVBILEO M. D. L.
PETRO PRINCIPI APOSTOLORVM.

XVII.

IVSTI INTRABVNT PER EAM.
HÆC PORTA DOMINI.
ROMA C.

ACCINGEBAT ſe PAULUS ad Jubileum celebrandum anno 1550. cujus initii tempus non multum aberat, jamque de eo conſtitutionem emiſerat, numiſmataque in hac ſolemnitate diſtribuenda paraverat, cum è vivis ſublatus eſt die 10. Novembris 1549. reique curam ſucceſſori reliquit.

XVIII.

HANC PETVNT MIRACVLA SEDEM.

ÆREAM Equeſtrem ſtatuam Antonini pii in platea juxta Capitolium repoſuit & erexit: ut in ejus epigraphe legere eſt. »PAULUS III. P. M. æream » equeſtrem à S. P. Q. R. Marco Antonino Pio etiam tum viventi ſtatuam, variis » deinde urbis caſibus everſam, & à Sixto IV. Pontif. Max. ad Lateranenſem Ba- » ſilicam repoſitam, ut memoriæ optimi Principis conſuleret, patriæque decora at- » que ornamenta reſtitueret, ex humiliori loco, in aream Capitolinam tranſtulit » atque dicavit M. D. XXXVIII.»

XIX.

SANCTVS PAVLVS. ALMA ROMA.

URBS Roma nummum hunc in PAULI Pontificis gratiam Divo Paulo Apoſtolo ejus patrono, ac urbis ipſius tutelari, dicavit & conſecravit.

XX. XXIII.

HÆC duo numiſmata adulterina eſſe, & perperam huic Pontifici aſcripta ſuſpicor, præſertim cùm lemmate careant, nec mihi unquam apparuerint, ſed ea ſolùm in novo Ciaconio, per Oldoinum typis iterum mandato, deprehenderim. Fruſtra ergo in eorum enodatione, quam me latere fateor, deſudarem. De Grypho tamen hîc deſcripto ex occaſione dicam non eſſe avem fictitiam ac fabuloſam, ut nonnulli aſſerunt, cùm ipſius ungues Ingentes viderim tum in Theſauro Abbatiæ S. Dionyſii in Francia, tum in Eccleſia Collegiata S. Quiriaci Pruvinenſis. Imò à viris fide dignis accepi, & Aldrovandus refert, pedem integrum cum unguibus à quinquaginta abhinc annis in fornice S. Capellæ Palatii Pariſiis dependiſſe, & omnium conſpectui per longam annorum ſeriem fuiſſe expoſitum. Ex ungue autem mitæ molis avem eſſe conjicere licet. An autem ſit chimæra,

Digitized by Google

mediâ parte Aquilæ & mediâ Leonis conſtans, prout hîc depingitur, fidem excedit. Standum ergo magis ſententiæ eorum qui Gryphum aſſerunt quoddam genus Aquilæ eſſe magnitudinis miræ & inſuetæ, quæ etiam unguibus bovem & equum abripit, & in aëra levat, ut pullos ex hac paſcat præda. Quod ergo Elephas inter quadrupedes; Cete ſeu balæna inter piſces; hoc ipſum inter volucres Gryphum eſſe, tenendum cenſeo.

XXI.

FLEXV APTO PRÆCVRRE.

SAGACIS animi PAULI dexteritatem connotat hic nummus, quæ non equos, ſed animos ipſos pro libito ad quodcunque facilè flectebat, teſte Ciaconio.

XXII.

PIETATI ET COMMODO PONTIFICVM.

SACELLUM eſt Paulinum, quod eleganti opere, & ornatu exquiſito, ut etiam modò conſpicitur, in Vaticano erexit.

XXIV.

VNITÆ MENTES VNIVNT.

AGERE videtur hoc lemma de pace & unione quæ PAULI curâ & induſtriâ inita & firmata eſt inter Carolum V. Cæſarem, & Franciſcum I. Regem Galliæ, ut deinceps vires ſuas ad bellum Turcis inferendum Chriſtiani Principes ſimul unirent. Typus autem numiſmatis ſignificat agrum Reatinum ab aquarum inundationibus, PAULI curâ & induſtriâ, factum immunem.

XXV.

BENEDICTIO DOMINI SVPER VOS.

CLASSEM inſtruxit Pontifex, ut Barbaruſſæ Tuneti Regi, qui Neapolitani regni invaſionem, & Italiæ ruinam meditabatur, obſiſteret. Decem ergo triremibus, quas juſſerat de novo Genuæ adornari, tres alias veteres adjunxit, quibus omnibus Virginium Urſinum præfecit, cui vexillum Chriſtianæ Religionis manu ſua in templo urbis veteris dedit, ac deinde Pyrgæ ſe contulit, ut Germanicas Italaſque legiones, ſub Alphonſo Vaſtio illuc appulſuras, totamque cum reliquis ducibus claſſem piis precationibus & benedictionibus expiaret.

Obiit 10. Novembris 1549. anno ætatis 81. Pontificatus 16.

Digitized by Google

Digitized by Google


I
HAEC PORTA DOMINI
ROMA
II
IVLIVS·TERTIVS·PONT·OPT·MAX
ANNO IVBI LEI
ROMA
III
AN·IVBILEI·APERVIT·ET·CLAVSIT
M·D·L·
IV
PETRO·APOST· PRINC
V
HILARI TAS PVBLICA
VI
HILARITAS PONTIFICIA
ROMA
VII
BONONIA
VIII
GENS·ET· REGNVM· QVOD·NON· SERVIERIT· TIBI· PERIBIT·
IX
PAX·ITALIAE· RESTITVTA
X
NOS·AVTEM·POPVLVS·EIVS·ET·OVES·PASCVE EIVS
XI
VILLAE· IVLIAE·
XII
ANNONA·PONT
XIII
PORTVS ET NOVORVM NATIONVM
XIV
IMPANE·PONDVS· VIRES·INFRACTAE
XV
ANGLIA·RESVRGES
VT·NVNC NOVISSIMO DIE
XVI
XVII
VERITAS·ET·VITA·EGO·SVM·VIA
XVIII
VIRGO·TVA·GLORIA·PARTVS

Digitized by Google

JULIUS III.

IOANNES MARIA DE MONTE,

Romanus,

Electus 8. Februarii M. D. L.

Vias tuas, Domine, demonſtra mihi.

I.

HÆC PORTA DOMINI M. D. L.

II.

IVLIVS III. PONTIFEX MAXIMVS. ANNO IVBILEI.

III.

ANNO IVBILEI APERVIT ET CLAVSIT M. D. L.

IV.

ANNO IVBILÆO M. D. L. PETRO APOSTOLORVM PRINCIPI.

PRIMO Pontificatus anno JULIUS ad Jubileum, quod à ſuo deceſſore indictum fuerat, celebrandum, portam ſanctam debitis ceremoniis 24. Februarii 1550. S. Mathiæ ſacra, aperuit, eandemque vertente anno, in ſecundis Epiphaniæ veſperis, ſolemni pompâ, clauſit. „ In eo autem, ut refert Onuphrius, fuit Romæ magnus „ hominum concurſus, qui Lutheri & ſimilium blaſphe„ miis ſurda aure ſpretis, piâ animi devotione loca ſacra „ Romanæ urbis inviſebant, & largiſſimarum condona„ tionum, quas Indulgentias vocamus, participes ſe ſe reddere ſtudebant. „ Ad „ hujus autem Jubilei ſervandam memoriam ſpectant quatuor hîc appoſita numiſmata.

V.

HILARITAS PVBLICA.

VI.

HILARITAS PONTIFICIA.

QUÆ fuerit publica hilaritas numiſmatibus his expreſſa declarat Ciaconius. » Fuit (inquit) hic primus annus Pontificatus inter eos quos populus Ro- » manus vidit lætiſſimos, non modò ipſâ Jubilei feſtivitate, & diverſarum gen- » tium in urbem confluentium multitudine, ſed ipſa etiam Pontificis humani- » tate, & incredibili in regendo Pontificatu temperantiâ. » Hilaritatis autem typus hîc delineatus, à priſcis nummis deſumitur, qui puellam cum ſpicis exhibent. Corona autem laurea, & monticuli appoſiti, iidem ſunt qui in faſcia tranſverſa parmæ gentilitiæ ejus Pontificis conſpiciuntur.

VII.

NVLLA CHARIOR. BONONIA.

HUNC nummum effinxere Bononienſes in gratiam beneficiorum ab hujus Pontificis munificentia acceptorum, qui hanc urbem præcipuè dilexit ac ſemper coluit, quòd in ejus Academia, Literis, ac Juri præſertim operam dederit, ut libri appoſiti declarant.

VIII.

GENS ET REGNVM QVOD NON SERVIERIT TIBI, PERIBIT.

EO quo Pontificatum ſuſcepit JULIUS anno, » Catholicorum omnium Prin- » cipum, & Rerumpublicarum Oratores (ut ait Onuphrius) publicis in » Conſiſtoriis, vetere Romanæ Eccleſiæ inſtituto, ad præſtandam ſibi obedien- » tiam admiſit. » Adfuit etiam Stephanus Armeniæ majoris Patriarcha, cum Archiepiſcopo & duobus Epiſcopis; nec non Simon Sulalka ab Eccleſia Orientali in Patriarcham electus, ut munus confirmationis à Pontifice Romano acciperet. Unus defuit Angliæ Rex Eduardus, qui ab Eccleſia Catholica & Romana cum regni ſui poſteriori parte defecerat. Quam ob cauſam hoc numiſma cuſum fuiſſe videtur, quod ideo Angliæ ruinam & perniciem minatur his verbis, GENS ET REGNVM PERIBIT QVOD NON SERVIERIT TIBI, obſequio videlicet fidei captivante intellectum.

IX.

PAX ITALIÆ RESTITVTA.

CUM Pontificis hujus virtutes enumerat Ciaconius, hoc illi præcipuè tribuit, quòd bella nulla, etiamſi legitima viderentur, ſuſcipere in animum in- » duxerat: erat enim domeſtici otii & publicæ tranquillitatis amantiſſimus. » Addit tamen: » Nequeunt Pontifices ita ſuis obſequi ingeniis, & innatis ſtudiis, aut » moribus indulgere, ut non aliquando in civiles Reipublicæ fluctus, ab ipſo » propoſitæ tranquillitatis portu inviti rapiantur. » Quod profectò JULIUS expertus eſt: nam licèt publicæ ac propriæ quietis percupidus, Parmenſe tamen

bellum præter ſententiam irrepſit. Sed ejus tumultum citò abhorrens, pacis fœdera compoſuit, ipſamque PACEM ITALIÆ RESTITVIT. In cujus gratiam hoc numiſma editum eſt, ubi typus Italiæ ſedentis, quieſcentis, ac cornupiam, per quam Abundantia deſignatur, geſtantis, depingitur.

X.

NOS AVTEM POPVLVS EIVS ET OVES PASCVÆ EIVS.

MONTES hîc appoſiti Romam ſepticollem deſignant, ad quam Angli, ſub figura ovium quæ erraverant, deſignati, acceſſerunt, cùm ad Eccleſiæ Romanæ fidem, à qua defecerant, reducti ſunt. Tuncque meritò illud Pſalmiſtæ dicere potuerunt: NOS AVTEM POPVLVS EIVS, ET OVES PASCVÆ EIVS.

XI.

VILLÆ IVLIÆ. FONS VIRGINIS.

VILLAM extruxit Pontifex viâ Flaminiâ, quam de ſuo nomine JULIAM nuncupavit, ut à negotiorum curis fatigatum animum reficeret, illicque ſecederet. Ad hanc autem VILLAM, teſte Onuphrio, ſæpe etiam cum Cardinalium Collegio divertebat, ut graviſſimos podagræ, quâ laborabat, dolores, loci hujus amœnitate quoquomodo leniret. FONS autem VIRGINIS in ſuperiori nummi parte conſpicitur, ut Pontificis hujus munificentiâ reparatum fuiſſe indicetur. Hujus autem fontis aquam M. Agrippa tertiùm Coſſ. juxta Herculaneum rivum, in agro Lucullano collectam, Romam quondam deduxerat. VIRGO autem nuncupata eſt illa aqua, vel quòd quærentibus aquam militibus puella nonnullas venas monſtraverit, quas cùm ſecuti fuiſſent, ingentem aquæ modum invenerunt: vel etiam, quòd refugiens commiſceri rivo Herculaneo, ideo Virginis nomen ſortita eſt. Hujus aquæductus diſruptos Claudius Imperator novos fecerat: deinde Hadrianus I. Pontifex Maximus anno circiter 790. eoſdem vetuſtate & hoſtium malitiâ dirutos reſtaurarat. Tandem à Nicolao V. ſeptingentis poſt annis denuò reparatos, JULIUS III. in meliorem ſtatum reſtituit.

XII.

ANNONA PONTIFICIS ANNO V.

HUJUS numiſmatis rationem reddit Onuphrius in vita JULII his verbis: « Cum urbs gravi frumenti inopiâ laboraret, tritico advecto, famis incommoda, quantùm potuit, ſublevavit. » Hîc ergo conſpicitur ANNONÆ typus, prout in veterum nummis deſcribitur. Monticuli autem cum coronis appoſitis, ex Pontificis inſignibus deſumuntur.

XIII.

PORTVS ET REFVGIVM NATIONVM.

INDICAT hic nummus omnes gentes etiam remotiſſimas Romam appellere conſueviſſe, tanquam ad portum omnium nationum, & ad earum ſalutis refugium. Acceſſerant enim tunc ad urbem Tygridis fluvii accolæ, cum Simone Sulalka eorum Patriarchâ, ut Pontificem venerarentur, eique epiſtolas Syriacè ſcriptas, ſuæ erga Sedem Apoſtolicam obſervantiæ teſtes, offerrent. Ritè ergo portus hîc depingitur cum navi ad eum accendente.

XIV.

PONDVS IMMANE, VIRES INFRACTÆ.

ATLANTIS ſub ſpecie qui orbem humeris ſuſtinet, JULIUM Pontificem hîc agnoſce, qui univerſæ Eccleſiæ Catholicæ curam gerebat. PONDUS quidem erat IMMANE; innumeri enim homines ſuper caput ipſius erant impoſiti, ſed tanti Pontificis vires, in eo pondere ferendo non fuere impares, diuturno enim labori aſſuetus Chriſtianam Rempublicam indefeſsè adminiſtravit, prioribus præſertim ſui Pontificatus annis. Ait enim Onuphrius: « Certè pauci fuerunt, qui in Romana curia diuturniùs, juſtiùs, fideliùs, & laborioſiùs per tot « annos, quàm JULIUS, verſati ſunt. » Undè meritò tunc proferri potuit, PONDUS quidem IMMANE eſt, at VIRES INFRACTÆ illud ſuſtinent; licèt Adrianus IV. quondam dixerit, quòd Pontificia dignitas onus eſt tantæ molis, ut robuſtiſſimos premat & confringat humeros.

V.

ANGLIA RESVRGES VT NVNC NOVISSIMO DIE.

MORTUO Anglorum Rege Eduardo ſexto, ſoror ejus Maria magno Dei beneficio in Regnum Angliæ ſucceſſit, quæ, agente Reginaldo Polo Cardinale, veterem Dei cultum, & Eccleſiæ Romanæ diſciplinam in hoc Regno ſuſcitavit; Oratoreſque ſuos, Principum Chriſtianorum more, ad Pontificem tandem miſit, qui ejus nomine fidem & obſervantiam ei præſtiterunt. In hoc autem nummo ipſa depingitur, quæ Pontificem prona veneratur, aſtante Polo Cardinale, ſtipante Carolo V. Cæſare, Philippo ſecundo Hiſpaniarum Rege, quem maritum habuit comite cum ſua matre. Hic autem nummus gratulatur Angliæ, modo ab errore in quem inciderat reſurgenti, ut aliquando poſſet à morte æterna reſurgere in noviſſimo judicii die.

XVI.

ΚΡΑΤΟΥΜΑΙ.

Vincor.

PRUDENTIA cum ſuis ſymbolis; ſerpente ſcilicet & ſpeculo, hîc deſignata capillis apprehendit nudam puellam, quam non temerè Fortunam dixerim. Quando autem præcipuè ſic devicerit JULIUS Fortunam, non eſt facilè divinare. Certum eſt tamen hunc Pontificem ſingulari qua pollebat ingenii ſagacitate, ac ſummâ prudentiâ iis non ſemel uſum fuiſſe, ut adverſam vinceret, quod in ejus vita facilè eſt obſervare. Jure ergo per hoc verbum ΚΡΑΤΟΥΜΑΙ, *vincor*, Fortuna per Prudentiam ſe ſe fatetur devictam. Cùm nuper in manus meas devenerint duo nummi moderni, in quorum antica parte conſpicitur caput galeatum Ducis Agatoclis cum ejus nomine Græco ΑΓΑΤΟΚΛΙΣ: in averſa autem idem omnino Fortunæ & Prudentiæ typus inveniatur cum hoc lemmate, ΚΡΑΤΟΥΜΑΙ; Ducis hujus potiùs, quàm Pontificis gratiâ fabricatum fuiſſe exiſtimavi, quòd utriuſque partis horum nummorum inſcriptio Græca ſit, & quòd indecorum videatur puellam nudam Pontificis numiſmati appoſuiſſe.

XVII.

EGO SVM VIA VERITAS ET VITA.

XVIII.


VIRGO TVA GLORIA PARTVS.

ISTA duo numiſmata videntur tantùm eſſe quædam Pontificiæ pietatis monimenta erga Chriſtum ac B. Virginem ejus matrem, nec expoſitione ulla indigere, cùm apertè pateat eorum inſcriptionum ſenſus.

Obiit 23. Martii 1554. anno ætatis 68. Pontificatus 6.

Digitized by Google

Digitized by Google



MARCELLUS II.

MARCELLVS CERVINVS,

Florentinus,

Electus 9. Aprilis M. D. LV.

* * * * * * * * *

I.

CLAVES REGNI COELORVM.

CLAVES quidem Petri meritò traditæ ſunt MARCELLO Pontifici virtutum omnium dotibus prædito. At cùm eas per viginti tantùm dies, immaturâ morte præventus, ſervaſſet, vix illis uti datum eſt; magno quidem Reipublicæ Chriſtianæ, & Sedis Apoſtolicæ detrimento. » Multa enim ad ejus decus penè obſcuratum inſtaurandum » meditatus fuerat, « teſte Onuphrio.

II.

NUMMUS iſte fauſtum, quod ſpectabatur MARCELLO Pontifice, regimen deſignat. Puellam enim illam Eccleſiam dixerim, quæ dextrâ librorum ſacrorum codicem geſtat: lævâ autem temonem habet, quo ejus navem regit, in qua ſola ad ſalutis portum appellitur. » Ingens certè effulſerat (ut ait Cia» conius) ſub MARCELLO Pontifice aurei ſæculi ſpes, à quo, propter ſum» mam ejus pietatem & ſolertiam, Romanam urbem, totumque Reipublicæ » Chriſtianæ orbem, ſanctiſſimis legibus fulciendum & regendum cuncti ſpe» ctabant.

Digitized by Google

III.

FIAT PAX IN VIRTVTE TVA. MEMORIÆ OPTIMI PONTIFICIS.

EDITUM videtur hoc numiſma in perennis tanti Pontificis memoriæ monimentum, deſignatque Pontificatus ejus, brevioris quidem quàm par erat, ſtatum, in quo pacem fovit, juſtitiam coluit, & abundantiam induxit. » PACEM » (ut refert Onuphrius) expetivit & fovit, cùm Cæſaris & Gallorum Regis Oratores ad ſe accitos graviſſima oratione monuit ut de iis quæ ipſe eorum Regibus » ſcripſerat, eoſdem certiores facerent, ſcilicet ut in pace ineunda conſentirent; » quòd ſi recuſarent, præter nuntios & legatos, ipſe quoque ad eos hortandos » profecturus eſſet. Ideo etiam Cardinali Tridentino legationem Bononienſium » non conceſſit, ne magis Cæſarianis, quàm Gallis favere videretur, inter quos » tanquam communis pater, medium ſe gerere, & pacem, quâ tandem ratione » poſſet, componere conſtituerat. » Unde rectè vota ejus verbis iſtis exprimuntur, FIAT PAX IN VIRTVTE TVA. JUSTITIAM verò ſic coluit, ut omnibus tribunalibus quædam quæ inviolabiliter ad rectam juris adminiſtrationem obſervarent, ſcripto mandaverit, & audiendis iis qui negotiorum causâ aderant, totus incubuerit. ABUNDANTIAM autem in urbem inducere ita paratus erat, ut vectigalia minuere, nullum bellum gerere, vanis ſubſtructionibus nullomodo vacare, nec propinquos ditare, conſtare propoſuerit.

Obiit 1. Maii 1555. anno ætatis 54. Pontificatus 1.



PAULUS



PAULUS IV.

Joannes Petrus Caraffa,

Neapolitanus,

Electus 23. Maii M. D. LV.

Dominus mihi adjutor.

I.

Inſignia.

Hic conſpiciuntur inſignia Caraffæ Gentis, nobilis apud Neapolitanos, ex qua Paulus IV. originem traxit. Poſt hujus Pontificis obitum, teſte Onuphrio, cautum fuit populi Romani edicto, ut Caraffæ familiæ inſignia ex urbe tollerentur, propoſitâ, ſi quis non obtemperaſſet,

I

„ perduellionis pœnâ. Itaque eo die nullum penè in urbe CARAFFARUM inſi-
„ gne reliquum fuit.

II.

BEATA SPES.

„ PAULUS animo acrior & ſeverior cùm eſſet, timere cœperunt Romani ejus „ dominium, ita ut in ipſa coronationis illius ſolemnitate mœſtitia magis „ quàm lætitia in aſtantium ore depicta cerneretur: quam adverſam de ſe opi- „ nionem ipſe ab initio Pontificatus avertere ſtudens, ultro pollicitus eſt, ſe ni- „ hil in urbe novaturum, ſed veteri inſtituto cuncta moderaturum. Privatim & „ publicè multa liberalitatis & clementiæ ſigna dedit; & cùm in publicum pro- „ diret, humanis verbis omnium favorem promereri curabat. „ Unde timorem in SPEM mitioris & pacifici regiminis mutantes Romani, nummum hunc edidere, in quo typus Spei, prout in antiquis numiſmatibus depingitur, ſpectare eſt.

III.

BEATI QVI CVSTODIVNT VIAS MEAS.

HOc numiſmate Chriſti facie inſignito, cum epigraphe, BEATI QVI CVSTODIVNT VIAS MEAS, declaratur PAULUM Chriſti VIAS, vitam ſcilicet perfectam & religioſam, quondam fuiſſe ſectatum, cùm Theatinus Archiepiſcopus novam Clericorum Theatinorum Religionem inſtituit, & amplexus eſt; Chriſtique VIAS ac paupertatem Evangelicam ſic ſecutus fuit, ut referente Onuphrio, „ Cùm Cardinalis pileus ei allatus fuiſſet, converſus ad ſuos, Ap- „ pendite, inquit, pileolum hunc ad illum clavum: nullum enim ad purpuram „ apparatum niſi arctiſſimæ ac ſuſpiciendæ paupertatis, quam Theatini Patres ob- „ ſervant, in ea domuncula erat cernere.„

IV.

ANNO DOMINI M. D. LVI. PONTIFICATVS SVI PRIMO INSTAVRAVIT.

UT Populus Romanus gratitudinem ſuam erga munificentiſſimum Pontificem reſtaretur, centum circiter cives è nobilitate elegit, qui ſine ſtipendio Pontificis, per vices, perpetuò ſui corporis cuſtodes, novo exemplo eſſent. Hos ipſe Equites creavit novi ordinis, FIDEI ſcilicet, quem in eorum gratiam inſtauravit, & fortè unumquemque eorum hoc numiſmate donavit, in quo typus FIDEI depingitur cum ſymbolis ſuis, calice ſcilicet ſacrificii Miſſæ, & codice Evangeliorum, in quibus totius FIDEI ſumma continetur.

V.

ROMA RESVRGENS.

AD ſublevandam annonæ penuriam triginta millium aureorum cenſum PAULUS inſtituit, quâ pecuniâ frumentum inopi plebeculæ Romanæ com-

parareтur. Eandem etiam urbis penuriam, quæ bello invaluerat, magno pietatis exemplo iterum levavit. Triticum enim octo aureis emptum, cuivis plebi pro rubro vendidit, quâ liberalitate quinquaginta millia aureorum abſumpſit. His autem beneficiis inductus populus Romanus, ad teſtificandum grati animi ſtudium, non modò hoc numiſma, ſed quod majus eſt, ſtatuam ei in Capitolio, antiquorum more erexit. At eo vitâ functo, privatorum aliquot civium odio & impulſu exagitata plebecula, caput ſtatuæ nefando auſu præcidit, quod per urbem, ſummo dedecore, per triduum provolutum eſt.

VI.

DOMVS MEA, DOMVS ORATIONIS.

SANCTITATEM in Eccleſiam inducere, & corruptos Clericorum mores abolere totis viribus enituit PAULUS. Hujus veritatis luculentum proferre licet teſtimonium illius qui orationem publicam in ejus funere habuit. Ait enim: „ Homines improbi PAULUM lætis oculis viderunt extinctum. Cur? Reſpondebit vir diſertus, quia Dei honorem zelatus eſt ad Chriſti formam: quia de medio ſuſtulit impios: quia flagris cecidit blaſphemos: quia à prædonibus tutatus eſt negotiantium merces: quia quoſdam hæreticos indignoſque noluit in Senatum adlegere: quia aulæ mores à recto tramite devios corrigere ſtuduit: quia orbem ſalutaribus legibus coërcuit. „ Quod hoc numiſmate deſignatur.

VIII.

DISCITE IVSTITIAM MONITI.

X.

HÆRESI RESTINCTA.

HÆc ſententia, DISCITE IVSTITIAM MONITI, præcipuè dirigitur ad hæreticos, quos acriter PAULUS inſectatus eſt, ita ut hoc elogium ejus tumulo fuerit inſcriptum.

PAVLO IV. CARAFFÆ
PRÆSTANTI SCELERVM VINDICI,
CATHOLICÆ FIDEI ACERRIMO PROPVGNATORI, &c.

Suaſit enim Paulo III. ut Inquiſitionis tribunal Romæ inſtitueret, quod inquirendis damnandiſque hæreticis ſumma cum poteſtate vacaret. Ipſe quoque Pontifex renuntiatus, illud tribunal jam erectum ampliavit, eique Michaelem Ghiſlerium virum integerrimum, qui deinde Pius Papa V. extitit, præfecit. In eo enim non ſolùm hæreſes, ſed & nonnulla crimina damnari juſſit, multos carcere incluſit, ac condignis pœnis reos affecit, ut ſic MONITI DISCERENT IVSTITIAM, & ad meliorem ſenſum revocarentur. Sicque HÆRESIS favilla, quæ totum penè orbem Chriſtianum vaſtabat, EXTINGVERETVR.

IX.

CLAVES REGNI COELORVM.

HOc numiſma videtur fuiſſe cuſum cùm PAULUS in ſummum Pontificem fuit electus, & Petri, ac REGNI COELORVM CLAVES accepit.

Obiit 18. Auguſti 1559. anno ætatis 84. Pontificatus 5.




Digitized by Google


PIVS IIII PONTIFEX MAXIMVS
I
4 G
II
G
III
2 G
IV
TV AVTEM IDEM IPSE ES
R
V
G
VI
IC MEDIOL
3 L
VII
PROVIDEN TIA PONT
· A · B ·
5 G
VIII
PIETATI PONTIFICIAE
3 L
IX
PORTA PIA
ROMA
5 G
X
6 G
XI
SVMMI PALLATII CVBICVLA
4 G
XII
AQVA PIA
4 G
XIII
4 G
XIV
SCHOLARVM EXAEDIFIC
4 C
XV
FORVM CARNARIVM
5 G
XVI
INSTAVRATA
5 G
XVII
VIRGINI MATRI
4 B
XVIII
4 G
XIX
VITAE
2 L

Digitized by Google

PIVS IV



PIUS IV.

IOANNES ANGELVS MEDICES,
Mediolanenſis,

Electus 26. Decembris M. D. LX.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.

I.

HODIE IN TERRA CANVNT ANGELI.

TYpus hic Chtiſti nativitatem exponens, deſignat diem Chriſti natalitiis conſecratam; ſequenti enim, ſcilicet 26. Decembris anni 1560. Pius in ſummum Pontificem electus fuir, » rantâ omnium mortalium qui adfuerunt » lætitiâ (reſte Onuphrio, qui ipſe adetat in Conclavi) » quantâ pauciſſimos ante ad ejuſdem Sacerdotii digni- » tatem perveniſſe conſtat.

II.

PIO IV. PONTIFICI MAXIMO SENATVS POPVLVSQVE BONONIENSIS.

HUNC nummum SENATUS POPULUSQVE BONONIENSIS dicavit PIO ad ſummum Pontificatum evecto, in gratitudinis monimentum, ob beneficia etga hanc utbem, etiam antequam Pontifex renuntiaretur, collata; præſettim cùm innatas Bononienſes intet & Fettarienſes de limitibus contentiones, ptudenti arbitrio, & Apoſtolicæ Sedis authoritate ſedavit. Hujus enim clavibus, Diſcordiæ, tanquam hottendi monſtri capita contudit & conſtegit. Multa quoque alia præſtitit beneficia, cùm ejuſdem utbis Prolegatus à Paulo IV. fuit deſignatus; eòque benevolentioti animo, quòd adoleſcens in ea utbe Juri

operam dederat, ubi etiam laureâ Doctoratus fuerat inſignitus. Unde Collegium ejus inſtauravit, ac privilegiis munivit.

III.

INDVLGENTIA PONTIFICIS.

GRAVEM adeò & hactenus inauditam Populus Romanus injuriam intulerat memoriæ & imagini Pauli IV. dum Sedes vacaret, ut temerarium hoc ac nefandum facinus extremis elui ſuppliciis debuerit. At cum PII nomen ſumpſiſſet hic Pontifex, nequaquam huic nomini vindictam competere ducens, ſontes planè abſolvit, ut hîc declaratur, fuſiúſque ab Onuphrio exponitur his verbis: « Pontificatus initio, quo reipſa præſtaret quæ PII nominis appellatione « pollicitus fuerat, clementiam dico & humanitatem, omnium penè Cardina« lium, ſed præcipuè Caraffarum, qui alioquin læſi videbantur, precibus, Po« pulo Romano omnium eorum veniam condonavit, quæ in Pauli IV. marmo« reum ſimulachrum, inſigniaque, & ſanctæ Inquiſitionis contumeliam ac de« cus, vacante Sede, commiſerat, dummodo detrimenta illata, quoad poſſet, « ſuis ipſe ſumptibus, ſanctæ Inquiſitionis officio ſarciret.

IV.

TV AVTEM IDEM IPSE ES.

HOC numiſma referri poſſe arbitror ad Concilium Tridentinum, quod ſummo Reipublicæ Chriſtianæ bono abſolvi curavit PIUS IV. anno 1563. in quo doctrina Chriſti, fides ſcilicet orthodoxa, ſtabilita fuit; quæ cùm ſit verbo Domini firmata, EADEM SEMPER EST, & permanet in æternum. Contrà verò hæreticorum opiniones omnino ſunt novæ, erroneæ, futiles, & tanquam nubes autumnales ac caliginoſæ, quæ omni vento circumferuntur; ideo meritò in hoc ſacro & œcumenico Concilio proſcriptæ fuerunt, & anathematis notâ inuſtæ.

V.

TVI SECTATOR.

AD hujus numiſmatis notitiam recurrendum puto ad monetam argenteam Mediolani cuſam, cùm urbs illa Ludovici XII. Galliarum Regis imperio pareret. Ex antica enim parte ſpectatur ipſius Regis caput; ex averſa autem figura S. Ambroſii in Pontificalibus, equo inſidentis, flagellum dextrâ agitantis, quo hæreticos Novatianos, Arianos, cæteroſque, quorum infenſiſſimus erat hoſtis, inſequeretur, & ab Eccleſia abigeret. Sic PIUS IV. Mediolanenſis, EIUS SECTATOR, in hoc numiſmate depingitur & prædicatur, qui fidei hoſtes, Lutheranos ſcilicet & Calviniſtas, publicè ab Eccleſia ſegregavit & abegit, cùm eos per Concilium Tridentinum damnavit. « Quinetiam tuendæ Avenionis & fini« timæ regionis causâ, ubi maximè hæreticorum perfidia graſſabatur, aliquot mi« litum cohortes conſcripſit, quibus Aurantium, ubi confugerant, vi cœpit, ca« ptamque delevit, præſentique periculo totam liberavit Provinciam, Lucæ An« tonii ſtrenui ducis operâ & induſtriâ; « ſicque eorum acies fugavit, ut in hoc numiſmate ſpectare eſt.

VI.

VI.

INSTAVRATIO COLLEGII IVRIS-CONSVLTORVM MEDIOLANI.

CUM Doctoris lauream in Jure Cæſareo Bononiæ adeptus quondam eſſet PIUS, eum etiam Academiæ Mediolanenſis in eadem Facultate proceres in ſuum Collegium cooptarunt; ideoque Pontifex renunciatus, non ſolùm illud reſtauravit, ſed & variis privilegiis inſignivit. Inſtituit enim ut ex illorum I. C. numero Auditor Rotæ, & Conſiſtorialis aulæ Advocatus perpetuò deligerentur.

VII.

PROVIDENTIA PONTIFICIS.

PROVIDUS hic Pontifex Populi Romani ſaluti & commodo invigilans, urbis annonam procuravit, præfectis aliquot vivis induſtriis creatis, ut narrat Onuphrius. Unde meritò typus PROVIDENTIÆ, ſicut in antiquis conſpicitur nummis, cum ſpicis & modio hîc depingitur.

VIII.

PIETATI PONTIFICIÆ.

LIBERALITAS aſtantibus pueris largam hîc aperit manum, ut ipſorum ſublevet inopiam. Præclara de ejus ſumma erga egenos PIETATE ſcripſit Onuphrius. „Prono ad miſeriam ingenio, tum ex conſuetudine ac ſermone, „tum ex rebus quas geſſit, ſemper habitus eſt: nam præter occultas largitiones, „publicè etiam quotidie omnibus inopiâ laborantibus, & oſtiatim victum quærentibus, tantùm ad ſublevandas eorum miſerias diſtribuebat, quantùm pro „diuturno victu ſatis eſſe poſſet, ex quo Pater pauperum vulgò vocari cœpit: „ſed tum præcipuè, cùm urbs Tyberis inundatione, ſub Paulo IV. fame vexata, „quidquid in horreis ad familiæ ſuæ uſum condiderat, liberaliter ad egenæ plebis ſuſtentationem primis menſibus deprompſit. Cùm fraternam hæreditatem „adiiſſet, veritus ne fratris causâ, qui variis præfuerat bellis, aliqui jacturam „bonorum feciſſent, reditum annuum aureorum mille, ex fraterno cenſu, magnæ Mediolanenſium domui pauperum hoſpitali aſſignavit. „ Unde rectè pingitur hîc PIETAS, quæ frumentum ex cornucopia, & vinum ex vaſe, nudis & egentibus puerulis erogat.

IX.

PORTA PIA.

X.

VIA PIA.

ÆDIFICANDI ſtudio ductus, urbem purgare, augere, & elegantiſſimis ædibus vias ornare conſtituit. Multa vetera & publica ædificia tam in Palatio, & hortis Vaticanis, quàm in reliqua urbe, vel vetuſtate collabentia, vel

K

imperfecta, vel quæ omnino eſſe deſierant, reparare & perficere aggreſſus eſt. In harum ædium & ædificiorum monumentum, plura numiſmata, quæ hîc conſpiciuntur, fuere edita, imprimis PORTÆ PIÆ, & VIÆ PIÆ, quæ eſt inter Salariam & Nomentanam, „PORTAM & VIAM PIAS (inquit Onuphrius) pu- „blicæ commoditati & dignitati in Quirinalis dorſo aperuit & munivit.„ Hæc PORTA autem nunc PIA, olim etiam Nomentana dicebatur, ut legitur in tabula marmorea inciſum his verbis.

PIVS IV. PONT. MAX.
PORTAM PIAM SVBLATA NOMENTANA, EXTRVXIT.
VIAM PIAM ÆQVATA ALTA SEMITA, AVXIT.

X.

PIVS IV. PONTIFEX MAXIMVS PORTAM IN HANC AMPLITVDINEM EXTVLIT. VIAM FLAMINIAM INSTAVRAVIT ANNO III.

PORTAM quoque & VIAM FLAMINIAS meliùs & lautiùs refecit, ut idem autor narrat, & hujus nummi inſcriptio teſtatur, necnon in marmore appoſito legitur.

PIVS IV. PONTIFEX MAXIMVS
PORTAM IN HANC AMPLITVDINEM EXTVLIT,
VIAM FLAMINIAM STRAVIT ANNO III.

PORTA autem quæ hîc ſpectatur, dicitur nunc ad Populum, vulgò *del Popolo*, in capite viæ Flaminiæ. VIA autem FLAMINIA ſic vocata eſt, à C. Flaminio iterum Conſule, quòd eam ex parte ſtraverit ab urbe Roma per Tuſciam & Umbriam Ariminum uſque. Filius autem ejus ipſam perfecit, deduxitque Bononiam, & inde Aquileiam prope Alpium radices.

XI.

SVMMI PALATII CVBICVLA.

REFERT Onuphrius in hujus Pontificis geſtis, quòd „Palatium Vaticanum aulis, cameris, tricliniis, cœnaculis, teſtudine, & porticibus reſtituit, vel de novo conſtruxit; laquearibus aureis, & variis egregiorum artificum pi- „cturis exornavit: hortos Pontificios ædicula, porticu, atrio lympheo, cubicu- „lis, & turri inſtruxit; emblematibus & opere teſſelato condecoratos pulcherri- „mos reddidit.„ Horum autem ædificiorum frontem ac faciem hîc cernere eſt.

XII. XX.

AQVA PIA.

AQUÆ Virgini, de qua ſuperiùs, excipiendæ & diſtribuendæ elegans æquè ac commodum conſtruxit ædificium, unde aqua illa quæ priùs AQVA VIRGO dicebatur, AQVA PIA fuit nuncupata, de qua hæc habet Onuphrius. „AQVAM

„SALONIAM, „quam antiqui VIRGINEM appellarunt, purgato fonte, & re-
„novatis formis, PIUS Urbi reſtituere voluit. „

XIII.

PORTUM CENTUM-CELLÆ INSTAURAVIT URBEMQUE VALLO AUXIT.

HUJUS etiam ædificii meminit author præfatus his verbis: „CENTUM-„CELLAS, quæ nunc Civitas vetus dicitur, vetuſtate disjectas, mœnibus, portubus, arcibus ſepivit & munivit. „

XIV.

SCHOLARUM EXÆDIFICATIO.

CUM PIUS IV. non mediocri eruditione claruerit, literas, earumque cultores ſemper fovit, ac quatuor Collegia aut conſtruxit aut reparavit, ſcilicet Romæ, Mediolani, Bononiæ & Papiæ. Horum etiam mentionem fecit Onuphrius. „Scholas quibus Sapientiæ Profeſſores Bononiæ docent, magnificentiſſi-„mè refecit. Romæ verò inchoavit, Papiæ Collegium inſtituit. „ Illud autem quod in hoc nummo repræſentatur, Papienſe eſſe dicitur, cujus etiam ſtatuta condidiſſe fertur.

XV.

FORUM CARNARIUM.

MACELLUM etiam in quo carnes divenduntur, in publicum commodum eleganter conſtruxit, Portamque inſigni arte ut hîc conſpicitur, erigi ac decorari curavit.

XVI.

INSTAURATA.

INSTAURATA etiam per eum fuit Villa Leonina in Vaticano juxta Caſtrum S. Angeli, de qua ſuperiùs diſſeruimus, & Onuphrius hæc ſcripſit. „Leoni-„nam urbem, quam Burgum vocant, craſſiſſimo muro laxavit; Arcem S. An-„geli novis muris & propugnaculis cinxit: hanc etiam multis privilegiis inſi-„gnivit. „ Quæ autem fuerint hæc privilegia, legere eſt in Bulla à Laërtio Cherubino in magno Bullario relata, quæ hæc habet: „Cupientes veſtigiis felicis re-„cordationis Leonis Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, qui ſuburbium quod Bur-„gum S. Petri vocant, antea per piæ memoriæ Nicolaum III. & alios pleroſque „Romanos Pontifices, juxta Principis Apoſtolorum Baſilicam, ad Curialium „commoditatem, non mediocriter ornavit, & ampliavit, illudque ſuo de no-„mine civitatem Leoninam appellavit, inhærendo: pro ipſius urbis decore & „ampliatione, novam apud idem ſuburbium civitatem conſtruere, populumque, „quo libentiùs ad eam habitandam, noviſque ædificiis replendam ſe conferat, „& in ea cum omni tranquillitate & commoditate, aëriſque ſalubritate degere „poſſit, paternis favoribus & gratiis invitare. Poſt varia quæ in Vaticano, dicta-

» que Leonina civitate feliciter operâ noſtrâ jampridem conſurgere noſcuntur » ædificia, motu proprio, & certâ ſcientiâ noſtrâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis ple- » nitudine, omnipotentis Dei gratiâ per Nos imprimis ad hoc ſupplicibus votis » imploratâ, ad ejus laudem & gloriam, tractum illum, inter vetera civitatis » Leoninæ mœnia & muros, propugnacula, quæ ab Arce ſancti Angeli ad Pa- » latium Apoſtolicum per Nos nuper excitata, interjacentem; quem etiam, ne ejus » incolis repentinæ inundationes Tyberis, aëriſque intemperies obeſſe poſſint, ſug- » geſta paſſim humo in altum elevari, cloaciſque ad ſordes eluendas aptis locis » fulciri mandavimus, in civitatem PIAM ſimiliter de nomine noſtro nuncupa- » vimus, authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, perpetuò erigimus & inſti- » tuimus. »

XVII.
VIRGINI MATRI.

TEMPLUM ſub auſpiciis B. VIRGINIS dicatum per PIUM IV. illud eſt quod Carthuſienſibus conſtruxit, de quo Onuphrius hæc tradidit. » Ther- » mas Diocletianas vetuſtate corruptas, S. MARIÆ VIRGINI DEI MATRI de- » dicatas, magnificentiſſimo templo, in ſanctam Ædem, & Carthuſianorum Cœ- » nobium, menſtruâ quingentorum aureorum ſolutione convertit. »

XVIII.
SAPIA INTRA NOVVM ALVEVM COERCITO.

TYPUS hujus nummi qui fluvium nobis exhibet, prout à priſcis pingebatur, SAPIA eſt vulgò SAVIO, qui Romandiolam alluit, Cæſennæ muros lambit, ac in maris Adriatici ſinum apud Leoniam ſe effundit. Quem quidem PIVS INTRA NOVVM ALVEVM, ne ripæ contiguos inundaret campos, & ut Cæſennatum agros utiliùs irrigaret, COERCVIT.

XIX.
ANTIDOTVM VITÆ.

ANTIDOTVM illud ad VITÆ curandas miſerias ac ſublevandas, Patientiam dixerim, quæ hoc typo repræſentatur. Nam cùm vita hominis ſcateat ærumnis & doloribus, nihil ad eas leniendas ſalubrius patientiâ adhiberi poteſt. Hæc autem virtus ut moralis, rectè per jugum & bovem animal patientiſſimum enuntiatur: ut Chriſtiana verò ritè per Crucem Chriſti deſignatur; quæ ſtupendum nobis exhibet patientiæ exemplar. Hæc autem virtus maximè in PIO enituit, » qui licèt ad iram à natura propenſus, mitâ tamen animi patien- » tiâ atque in laboribus perſeverantiâ præditus fuit, » ut teſtatum reliquit Onu- » phrius.

XXI.

MENDICIS IN PTOCHOTROPHIVM REDACTIS.

TYPUS iſte non ad Leonem X. cui falsò tribuitur, ſed ad PIUM QUARTUM revera pertinet. Cuſus eſt enim hic nummus in iſtius Pontificis memoriam, „ quòd egentes & deliros homines moleſtâ & fallaci mendicitate ſublatâ, certis „ locis diſtributos, nutriri præceperit, præfecto ad opus pium Antonio Romel- „ lino Protonotario, „ ut Onuphrius teſtatur.

XXII.

EXVRGAT DEVS.

CHRISTI reſurrectio hîc appoſita & delineata, ſummam Pontificis in eum fiduciam connotat, cujus virtute inimicos Eccleſiæ, hæreticos ſcilicet, ſperat fore diſſipandos, unde reliqua verſus illius pars ſubauditur, *& diſſipentur inimici ejus.*

Obiit 9. Decembris 1565. anno ætatis 67. Pontificatus 6.





Digitized by Google

PIUS V.

MICHAEL GHISLERIVS,
Boſchenſis,

Electus 7. Januarii M. D. LXVI.

Utinam dirigantur viæ noſtræ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.

I.

PIVS V. GHISLERIVS BOSCHENSIS, &c.

IN gratiam patriæ ſuæ BOSCHENSIS prope Alexandriam apud Inſubres; & Conventus S. Dominici, in quo PIUS V. Religionis habitum ſuſceperat, ac piè fuerat educatus, ſacriſque literis informatus, inſigne Monaſterium Ordinis ſui juſſit inibi ædificari, ac neceſſariis proventibus dotari, ſimul atque Pontifex Summus fuit renuntiatus, anno ſcilicet 1566. in cujus monumentum hoc numiſma percuſſum fuiſſe conſtat.

II.

PAVLVS IV. PONTIFEX OPTIMVS.

VIRTVTES inter, quæ PIUM hunc Pontificem exornarunt, gratitudo erga eos, qui obſequium vel beneficium quodpiam ipſi præſtiterant, maximè enituit, ut in ejus vita à Cicarella his verbis obſervatum eſt. « Tam gratus erat « erga benefactores, ut etiam mortuis gratitudinis indicia oſtenderit: quare & « PAVLO IV. à quo creatus fuerat Cardinalis, nobile ac magnificum ſepulchrum « erexit, nepotumque ejus memoriam damnatam reſtituit. » Hunc etiam nummum in ejus honorem cudi præcepit.

III.

IMPERA DOMINE, ET FAC TRANQVILLITATEM.

NAVIS Petri variis agitata fluctibus, & in ſummo conſtituta diſcrimine hîc cernitur, cùm ab ingenti claſſe Othomanica fuiſſet impetita, unde Pontifex Reipublicæ Chriſtianæ imminentia quæ prævidebat mala jure formidans,

crebris non ceſſabat votis cœlum laceſſere, hæc Chriſto ſæpius verba dirigens, IMPERA DOMINE, ET FAC TRANQVILLITATEM. *Domine adjuva nos.*

IV.

ANNONA PONTIFICIS.

DE ipſo re & nomine PIO Pontifice refertur, quòd « Urbe gravi morbo laborante, ſingulis ægrotis pecuniam dedit, decem medicos & quatuor cives aſſignavit, Florabellum Epiſcopum his omnibus præfecit. Lanienas etiam « ac tabernas cibariis & medicamentis refertas, in eorum commodum parari juſſit. « Unde meritò prædicatur hoc in nummo ſumma PONTIFICIS providentia, in ANNONA cæteriſque populo procurandis.

V.

FOEDERIS IN TVRCAS SANCTIO.

CUM Turcarum Imperator Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus Regnum Cypri invadere tentaret, ut facilior ad Italiam pateret aditus, ſuoque Romam ſi poſſet ſubderet imperio: Veneti, quorum hujus Inſulæ Regnique erat dominium, Legatos ad varios Principes miſerunt, ut eos ad fœdus ſecum in Barbaros ineundum inducerent. PIUS Pontifex non dubitavit cum hac Republica & Hiſpaniæ Rege fœdus ſancire, quod in hoc numiſmate habetur expreſſum. Figura enim media, diademate triplici redimita, Eccleſiam, cujus Summus Pontifex caput eſt, exhibet, per agnum, ſponſi ſui Chriſti ſymbolum, deſignatam. Miles ille à dextris ſtans, ipſe eſt Philippus II. Hiſpaniarum Rex, per aquilam indicatus. Tertia autem figura exprimit Reipublicæ Venetæ Dogum ſeu ſummum Ducem, pileo ſuo togaque Ducali inſtructum, habentem ſub pedibus leonem alatum S. Marci Patroni. Dextras jungunt, ut FOEDERIS hujuſce IN TVRCAS SANCTIONEM declarent.

VI.

FECIT POTENTIAM IN BRACHIO SVO. DISPERSIT SVPERBOS.

PIUS Pontifex precibus aſſiduis cœleſte præſidium implorabat, ut Chriſtianæ claſſi faveret. Cúmque orationi vacaret, eo ipſo momento quo pugna committebatur, meruit, Deo indicante, de victoria à Chriſtianis in Othomanos reportata fieri certior. In ſummas ergo gratiarum actiones ſtatim totum ſe dedit, Chriſtumque POTENTIAM FECISSE IN BRACHIO SVO, palam confeſſus eſt.

VII.

A DOMINO FACTVM EST ISTVD.

VIII.

DEXTERA TVA DOMINE PERCVSSIT INIMICVM.

XVII.

DEXTERA DOMINI FECIT VIRTVTEM.

TURCARUM Imperator bellum Venetis anno 1571. indixit, Nicoſiam & Famaguſtiam, Cypri metropoles, oppugnavit expugnavitque. Claſſem itaque inſtructiſſimam ex copiis Pontificiis, Venetorum, Hiſpanorumque compoſitam, ſub Joanne Auſtriaco, Andrea Doria, & Antonio Columna, ſtrenuiſſimis Ducibus, in eos miſerunt fœderati illi Principes cum 209. triremibus, pio & ſolemni ritu Pontificis nomine priùs per Joannem ODESCALCHVM Epiſcopum Pennenſem, in hac parte Legatum, in Meſſanæ portu expiatis. Ad oram ergo ſinus Corinthiaci, vulgò *Golpho di Lepanto*, convenere utrinque acies, & manus inter ſe commiſere die 7. Octobris. Pugna horâ meridianâ cœpta eſt, & quatuor horis confecta, ſed tanta cum ſtrage, ut vigenti quinque hoſtium millia ciderint: ita ut victoria, omnium quæ in mari conſpectæ poſt hominum memoriam maxima, ex Chriſtianorum partibus ſteterit. Sicque favente Dei dexterâ, fuſi fugatique ſunt Chriſtiani nominis oſores. Jure ergo dici potuit A DOMINO FACTVM EST ISTVD. DEXTERA DOMINI FECIT VIRTVTEM, ET PERCVSSIT INIMICVM, ut in his nummis inſcribitur.

IX.

CONTRIBVLASTI CAPITA DRACONIS.

DRACO ille bellua ferociſſima, in aquis contuſa & ſubmerſa, ipſe eſt Halybaſſa, unus ex præcipuis Othomanorum Imperatoris Ducibus, qui in prælio illo apud Naupactum occubuit.

X.

IN FLVCTIBVS EMERGENS.

CUM victoriâ illâ celeberrimâ apud Naupactum potiti fuiſſent Chriſtiani, Navis Petri hac agitata tempeſtate, quaſi è FLVCTIBVS quibus obruebatur EMERGENS, optatum tranquillitatis portum tandem conſecuta eſt. Præpoſitio ergo IN mutanda videtur in E, & dicendum E FLVCTIBVS EMERGENS.

XI.

PAX.

Fusa deletâque claſſe Othomanicâ, fugatiſque ejus copiis procul ab Italia, PAX ſumma per univerſæ hujus provinciæ fines, quæ tàm atrocis belli dubio eventu jure fuerat turbata, reſedit. In cujus gratiam hic nummus editus eſt.

XII.

ILLVMINARE IERVSALEM.

XIII.

NE DETERIVS VOBIS CONTINGAT.

Judæus prædives, Elias nomine, teſte Ciaconio, non ſemel dum Pius Cardinalis eſſet, ab eo ad fidem Chriſtianam amplectendam fuerat invitatus, promiſeratque ſe tunc illam ſuſcepturum, cùm is ad Romanæ Sedis faſtigium aſcenderet. Pontifex ergo electus promiſſionem factam in Eliæ memoriam revocavit, nec fruſtra; nam paulò poſt baptiſmum flagitavit, ac illud cum tribus filiis & nepote, die 3. Pentecoſtes, in Vaticana Baſilica, Cardinalibus præſentibus, & nonnullis Patrinorum munere fungentibus, ab ipſo Pio accepit, Michaëlque nominatus eſt. Monentur autem hîc Judæi neophyti ut in fide perſeverent, NE QVID DETERIVS IPSIS CONTINGAT, ſi Chriſtianos ritus dimittentes, in priſtinos errores relabantur, Synagogam Eccleſiæ præferentes. Cùm etiam juſſiſſet idem Pontifex ut celebritati hujus baptiſmi plurimi Judæi adeſſent in angulo Eccleſiæ, triginta & amplius ex iis, Eliæ & filiorum exemplo permoti, ad catechiſmum acceſſere, cæleſtis luminis gratiâ, per novam ſtellam Magis apparentem hîc deſignatâ, cum hac epigraphe, ILLVMINARE IERVSALEM.

XIV.

BOSCHENSIS SANCTÆ CRVCIS ORDINIS PRÆDICATORVM.

Nummus iſte declarat conſecrationem templi BOSCHENSIS, quod Patribus Ordinis ſui conſtruere cœperat Pius anno Pontificatus ſui primo, ut ſuperiùs annotavimus. Cúmque anno 1571. fuiſſet perfectum, illud ipſum ſub S. CRVCIS titulo conſecrari & inaugurari curavit, ut ex hoc numiſmate deducitur.

XV.

E TENEBRIS DIES, E LVCO LVX LVCET.

HUJUS numiſmatis typus exhibet LVCVM undique lumine micantem. Quid autem LVCVS iſte? niſi Boſcus, PII patria; idem enim utrumque ſonat. LVX autem indicat ipſum eſſe patriæ ſuæ lumen & ornamentum ſingulare, unde rectè dicitur à LVCO, ſeu Boſco, LVCEM manaſſe.

XVI.

CATHARINA BONZ. FLAMINIO FIL.

QUÆ ſit iſta CATHARINA BONZ. cum FLAMINIO FILIO, & ad quid in nummo PII Pontificis expreſſa, detegere nondum licuit; cùm cuſus non inveniatur ille nummus, ſed tantùm fuſus, inter illegitimos aut ſaltem valde ſuſpectos reponendum duco.

XVIII.

QVIS SIMILIS TIBI DOMINE.

CUM PIUS, antequam ad ſummum Eccleſiæ regimen eligeretur, Michaël vocaretur, hujus nummi inſcriptio ad ejuſdem nominis ſignificationem alludit, ſiquidem Hæbraïcè Mi-cha-el ſignificat Latinè, QVIS SIMILIS DEO.

Obiit 1. Maii 1572. anno ætatis 68. Pontificatus 7.

Digitized by Google


I
II
VERVS DEI CVLTVS
III
ROMA
IV
PROVIDENTIA CHRIST
V
VI
SECVRITAS POPVLI ROMANI
VII
RESTAVRAVIT
VIII
RESTAVRAVIT
IX
IN AEQVITATE ABVNDANTIA
X
MAGNIFICENTIAE REGNI TVI
XI
XII
XIII
ET PORTAE CAELI APERTAE SVNT
ROMA
XIV
IVSTI INTRABVNT PER EAM
AN DNI MD LXX V
XV
ROMA
XVI
APERVIT ET CLAVSIT ANNO MDLXXV
ROMA
XVII



M

Digitized by Google


XXXIII
XXXIV
XXXV
XXXVI
XXXVII
SACERDOS MAGNVS INVITA SVA SVFFVLSIT DOMVM ET CORROBORAVIT TEMPLVM IN DIEBVS IPSIVS EMANAVERVNT PVTEI AQVARVM ECCL L
XXXVIII
XXXIX
XL
XLI
MONASTERIOR ECCLESIARVMQ FVNDATORI CONSER VATORIQ CARD PRO TECT· GVBER ET CONFRATRES DO MVS PIAE DIC· MDLXXXII
XLII
S·P·Q·R·
XLIII
S·P·Q·R· OPTIMO PRINCIPI
XLIV
XLV
XLVI
ABREGIBVS IAPONIOR·PRIMA AD·ROMA·PONT LEGATIO·ET· OBEDIENTIA ·585·
XLVII

Digitized by Google

GREGORIUS XIII.

HVGO BONCOMPAGNVS,

Bononienſis,

Electus 13. Martii M. D. LXXII.

Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

I.

VGONOTTORVM STRAGES.

ETsi nonnulli STRAGEM HVGONOTTORVM juſſu Caroli IX. Pariſiis factam die S. Bartholomæo ſacrâ anni 1572. tanquam nimiæ crudelitatis ac conſilii præcipitis facinus reprehendant, illud tamen hoc numiſmate probaſſe ac laudaſſe videtur GREGORIUS, quod zelo tribuendum eſt, quo erga Chriſtianam Religionem flagrabat: in hanc enim ſpem fuerat adductus, ſectam ac luem illam, quæ veneno ſuo Galliam infecerat, ejus ducibus & fautoribus interemptis, delendam iri & radicitus evellendam. Hocque per Angelum, cæleſtis iræ in inimicos Crucis Chriſti vindicem, perpetratum crediſiſſe, ſatis innuit hujus nummi typus.

II.

VERVS DEI CVLTVS.

CUM in ſuperiori numiſmate ſpectaverimus hæreticos, & veræ Religionis hoſtes deletos ac extinctos, typus ipſius VERI DEI CVLTVS oculis ſubjicitur, qui in una, ſancta, Catholica, Apoſtolica, & Romana ſubſiſtit Eccleſia; cujus figura hic depingitur cum tiara & clavibus. Hanc autem ſtudioſiſſimè, ut decebat, fovit ac coluit ſemper GREGORIUS, qui pecuniam, copias, cæteraque Henrico III. Galliarum Regi ſubminiſtravit, quibus hæreticorum auſus & conatus reprimeret ac retunderet.

III.

TVTVM REGIMEN.

Digitized by Google

VI.

SECVRITAS POPVLI ROMANI.

HÆc duo numiſmata cuſa videntur ad denotandam ſingularem quam Gregorius adhibuit diligentiam, ut latrones & ſicarios, quos vulgus Banditos vocat, publicæ ſecuritati infenſiſſimos, ex Italia pelleret. De illis hæc ſcribit Cicarella in hujus Pontificis vita: „ Pontificatum habuiſſet lætiorem, niſi à „ Banditis graviſſimè afflictus fuiſſet, qui in territoriis Eccleſiæ tot tam potentes „ & tam ad nocendum prompti erant, ut nec in pagis, nec in urbibus, nec in ipſa „ urbe Romana aliquis ab eorum tyrannide liber eſſet, cujus non & vita & for- „ tuna periclitaretur. Gregorius quidem omni quâ potuit diligentiâ huic „ malo ſæpe occurrere tentavit, ſæpe armatas copias in illos immiſit, nec un- „ quam potuit homines illos ſceleratos funditùs extirpare. „ Obſervandum autem in tertio nummo, quòd mulier illa quæ urbem Romam exhibet, loco Palladii, ſeu ſtatuæ Palladis, quam in veteribus nummis ferre conſuevit, draconem geſtat, qui in teſſera gentilitia Gregorii XIII. conſpicitur, quo ſcilicet declaratur, draconem ipſum, urbem Romam, Palladii loco deinceps ſervaturum.

IV.

PROVIDENTIA CHRISTI.

MUlier iſta quæ temonem juxta globum geſtat, indicat orbis Chriſtiani regimen inditum fuiſſe Gregorio numine cœleſti, & ſingulari Christi providentia. Ait enim Cicarella, de ejus ad ſummum Pontificatum electione agens: „ Res fuit admiratione digna, tam arduum negotium quatuor „ aut quinque horis confici potuiſſe, & nullum, ut ſolet, interveniſſe obſtacu- „ lum quod illud impediverit.

V.

IN NATIONES GRATIA SPIRITVS SANCTI.

IN Chriſtiana fide apud exteras & barbaras nationes propaganda totus incubuit Pontifex, hinc ſedulos mittens Evangelii Miniſtros ad eorum converſionem; hinc Collegia erigens ad ipſorum eruditionem, ut legitur in illa inſcriptione, quæ ſtatuæ ipſi apud Capitolium erectæ ſuppoſita eſt.

OB SEMINARIA EXTERARVM NATIONVM IN VRBE
AC TOTO PENE TERRARVM ORBE
RELIGIONIS PROPAGANDÆ CAVSA INSTITVTA.
OB PATERNAM IN OMNES GENTES CHARITATEM, &c.

Rectè ergo hîc depingitur D. Petrus fidem, quæ eſt donum & gratia spiritus sancti, annuntians cunctis nationibus ex omni gente cognitis, Græcis, Latinis, Barbaris, &c.

VII. VIII.
RESTAVRAVIT.

PONS iſte Romæ ſuper Tyberim olim ab Hercule, Getione devicto, primùm, ut fertur, fabricatus, & in publicum commodum à GREGORIO XIII. modò reſtitutus, varia ſortitus eſt nomina. In initio PONS SACER dictus eſt: tum ab Anco Martio ex ilice reparatus, PONS SVBLICIVS: deinde à Marco Æmilio quoque reſarcitus, PONS ÆMILIUS vocatus: poſtea verò SENATORIUS, & PALATINUS dictus, quòd juxta montem Palatinum ſitus eſſet: tandem verò, quòd viam ad ædem S. Mariæ Majoris præberet, PONS S. MARIÆ appellatus eſt, quod etiam nomen modò retinet, habetque B. Virginis iconem affixam. Cùm autem hujus Pontis reſtaurationem aggreſſus eſſet GREGORIUS, primum lapidem poſuit, ac in eo varia hujuſmodi aurea & argentea numiſmata incluſit. Hæc autem legitur inſcriptio in tabula marmorea inibi inſculpta.

EX AVTHORITATE GREGORII XIII. PONTIF. MAX.
S. P. Q. R. PONTEM SENATORIVM
CVIVS FORNICES VETVSTATE COLLAPSOS,
ET IAMPRIDEM REFECTOS,
FLVMINIS IMPETVS DENVO DEIECERAT,
IN PRISTINAM FIRMITATEM ET PVLCHRITVDINEM
ANNO IVBILEI M. D. LXXV. RESTAVRAVIT.

IX.
IN ÆQVITATE ABVNDANTIA.

HÆC figura duo nobis exhibet, Pontificis ſcilicet IVSTITIAM per libram, & ABVNDANTIAM quam in Urbem invexit, per cornucopiæ. Cùm enim eſſet in Legibus apprimè eruditus, Juſque publicè profeſſus fuiſſet Bononiæ, IVSTITIAM in Pontificatu maximè fovit, Themidemque impensè coluit; unde felicitas publica, civium quies & ABVNDANTIA ortæ ſunt. In inſcriptione illa ſtatuæ in Capitolio erectæ hæc leguntur,

GREGORIO XIII. PONTIF. MAX. &c.
QVI PER ROMANOS MAGISTRATVS
ET ECCLESIASTICAS DIGNITATES
IVSTITIAM ET PIETATEM COLENS,
VNIVERSAM REMPVBLICAM CHRISTIANAM,
SVMMA PROVIDENTIA ET CHARITATE MODERATVR.

Folieta libro 4. de Sacris fœderibus, de GREGORIO XIII. ſcripſit: » Fuit in » eo perpetuum atque acerrimum Juſtitiæ ſtudium, quod nulla unquam gratia » inflexit, aut ſpes præmiorum labefactavit, aut metus offenſionum perfre» git. »

X.

MAGNIFICENTIA REGNI TVI.

UT liberalitatem & MAGNIFICENTIAM, quam in omnibus toto regni ſui tempore exhibuit GREGORIUS, clariùs exponam, ipſius Ciaconii verba referre ſufficiet. » Liberalitas præſertim anno 1575. in quo Jubileum cele» bratum, ſe mirabiliter explicuit, ac ne quicquam civium ſeu advenarum com» moditati deeſſet, diligenter curavit. Ante hoc tempus urbis vias ſtraverat, ædi» ficia multa erexerat, ſacras ædes inſtauraverat, Senatorium pontem ipſo anno » Jubilei refectis fornicibus reſtituit, horrea in Diocletiani thermis ædificavit, » aquam Virginem in urbem duxit, Eugenii Papæ IV. porticum refecit, vias » ad Lateranum patefecit, Romanam Academiam, quæ Sapientia dicitur, reſtau» ravit, Xenodochium S. Mariæ ampliavit, Conſtantini baptiſterium laqueari» bus & marmoribus expolivit. « Regnum autem ejus per tiaram Pontificiam, quæ vulgò Regnum dicitur, ritè deſignatur. Quod quidem afflante Spiritus ſancti gratiâ dignè gubernavit, necnon Urbem magnificè adornavit.

XI.

INVENI HOMINEM SECVNDVM COR MEVM.

IVBILATE DEO OMNIS TERRA.

SUB perſona Davidis GREGORIUS hîc depingitur virtutum omnium dotibus inſignitus, & Deo accepriſſimus, ita ut de illo ſicut de Regio Propheta dicere potuerit: INVENI HOMINEM SECVNDVM COR MEVM. Verba autem ſuppoſita, IVBILATE DEO OMNIS TERRA, ſat apertè indicant anno Jubilei hoc numiſma fuiſſe cuſum.

XII.

DOMVS DEI ET PORTA COELI.

XIII.

ET PORTÆ COELI APERTÆ SVNT.

XIV.

IVSTI INTRABVNT PER EAM.

XV.

NIHIL COINQVINATVM.

XVI.

APERVIT ET CLAVSIT ANNO M. D. LXXV.

XVII.

GREGORIVS XIII. PONT. MAX. APERVIT ET CLAVSIT IVBILEI 1575.

ISTI ſex nummi editi ſunt in memoriam Jubilei celebrati à GREGORIO XIII. anno 1575. Die natalem Chriſti præcedente ſuperioris anni, Pontifex ante veſperas ſolemni ſupplicatione ad portam ſanctam acceſſit, eam ter malleo aureo percuſſam aperuit, & Baſilicam S. Petri cum Cardinalibus, crucem dexterâ, cereum accenſum ſiniſtrâ ferens, ingreſſus eſt. Malleus autem aureus Cardinali Hoſio majori Pœnitentiario ceſſit, quem deinde Bavariæ Principi, Romæ tunc exiſtenti, donavit. Ingens numerus peregrinantium viſus eſt, ſeptem & octo millia ſæpe eadem die hoſpitalis domus S. Trinitatis excepit, in qua Ferdinandus Medices ejuſdem domus patronus, Alexander Farneſius Princeps Parmæ, ac alii Principes & viri primarii peregrinis ſæpius miniſtrabant, eorumque pedes abluebant. Pontifex autem curavit ut urbs annonâ abundaret, ipſius ædes exteris advenientibus paterent, ac egentes largitionibus juvarentur. Ipſi Arabes, Armeni, Græci, Judæi, aliique Orientales populi hûc etiam convolarunt, ut Jubilei gratiâ fruerentur. Magnis etiam impenſis & laboribus viam commodiſſimam ab Eccleſia B. Mariæ Majoris Lateranum uſque aperiri curavit.

XVIII.

LEVATA ONERE PATRIA.

HIC Pontifex Bononiæ ex nobili familia natus, erga ſuam patriam beneficum ſemper ſe exhibuit. Nam ſimul atque electus fuit, arcem munitiſſimam in agro Bononienſi olim inchoatam, & à Pio V. altiùs erectam, quæ hujus urbis paci & quieti grave damnum inferre poterat, ſi militum præſidio fuiſſet inſtructa, ſolo æquari præcepit. Unde hoc bellico ONERE, per Palladem deſignato, LEVATA PATRIA, non ſolùm hoc numiſma in ejus honorem cudit, ut per has literas in antica parte poſitas S. P. Q. B. id eſt, Senatus Populuſque Bononienſis, apertè declaratur; ſed & ſtatuam æneam in potiori ædium publicarum aula, in grati animi monimentum erexit, cum hac inſcriptione.

GREGORIO XIII.
AD SVMMVM PONTIFICATVM
OB MAXIMAS VIRTVTES EVECTO,
REIPVBLICÆ BONO ET PATRIÆ SPLENDORI NATO,
CIVI OPTIME MERITO
S. P. Q. B. STATVAM HANC ERIGENDAM CVRAVIT.

XIX.

IN NOMINE IESV SVRGE ET AMBVLA.

SUB figura ſancti Petri ægrotum ſanantis horum virtute verborum, IN NOMINE IESV SVRGE ET AMBVLA, denotatur Summus Pontifex anno Jubilei 1575. in ima nummi parte deſignato, beneficium abſolutionis omnibus

Digitized by Google

peccatorum labe infectis impertiens; eorumque morbos & animi languores ſanans. Eſtque hic præcipuus ac efficaciſſimus Jubilei effectus.

XX.

ANNONA PONTIFICIS.

CICARELLA in hujus Pontificis vita refert quòd „ maxima ANNONÆ caritas Romam affligebat, ita ut pauperiores qui ſolo pane nutriebantur, „ una die octo bajocos in comedendo pane conſumerent. „ His gravibus malis pro innata pietate & ſingulari prudentia non ſolùm occurrit Pontifex; ſed ut huic incommodo promptiùs deinceps & faciliùs ſubvenire facultas eſſet, ampla apud Thermas Diocletiani granaria conſtrui curavit, quod in marmore ſculptum legitur his verbis:

GREGORIVS XIII. PONT. MAX.
ADVERSVS ANNONÆ DIFFICVLTATEM SVBSIDIA PRÆPARANS;
HORREVM IN THERMIS DIOCLETIANI EXTRVXIT
ANNO IVBILEI 1575.

XXI.

IVVENTVTI GERMANICÆ.

CUM animadverteret pius Pontifex Germaniam perverſis Lutheranæ ſectæ dogmatibus eſſe infectam, ut fidem Catholicam & Romanam in iis partibus maximè labefactatam tueretur, Collegium Germanicum Romæ inſtituit, ſeu potiùs à Julio II. jam inchoatum ampliavit, reditibus auxit, & curæ Patrum Societatis Jeſu commiſit, ut in eo nationis illius juvenes & ſcientiarum diſciplinis excolerentur, & veræ Religionis lac à teneris exſugerent, quo nutriti in fide adoleſcerent confirmarenturque; ac demum cæteros aut titubantes corroborarent, aut errantes reducerent. De iſto autem Collegio ſic loquitur idem Pontifex in Bulla hac de re à ſe edita. „ Quocirca Collegium Germanicum pridem à No- „ bis in urbe noſtra inſtitutum eſt, in quo non minùs centum pueros ex univerſa „ Germania Septentrionalibuſque illi adjacentibus regionibus colligendos, libe- „ ralibus ſcientiis ac diſciplinis, necnon ſacris Canonibus & Theologiâ inſtrui „ atque erudiri volumus, & ad illorum ſuſtentationem reditus annuos decem „ millium aureorum ipſi Collegio perpetuò attribuimus. „

XXII.

SVPER HANC PETRAM.

VARIIS ædificiis ad Urbis commodum & ornatum conſtruendis intentus GREGORIUS, ædis ſacræ beati Petri fabricam maximè promovit, & ad faſtigium uſque perduxit, præſertim cùm ex advenarum largitionibus anno Jubilei erogatis, non mediocrem pecuniæ ſummam huic operi impendendam collegiſſet.

XXIII.

GREGORIANÂ DIVO NAZIANZENO DICATA.

IN eodem Divi Petri templo apud Vaticanum magnificentiſſimum ſacellum extruxit, SANCTOQUE GREGORIO NAZIANZENO, quem ſpeciali affe-ctu colebat, & cujus nomine appellari elegerat, DEDICAVIT. In hujus autem ædificio ultra centum millia ducatorum impendit, ac annuis proventibus ad Sacerdotum ſuſtentationem, qui divinis in eo vacarent, dotavit. Deinde ejuſdem B. Nazianzeni corpus ex æde ſacra Virginum Græcarum, in qua dudum ſervabatur, ſplendido apparatu, & ingenti populi concurſu, ad novum hoc ſacellum tranſtulit. Ipſe verò uſque in planitiem quæ eſt ante Vaticanum, ſacris reliquiis obviam proceſſit, & in altare propriis manibus depoſuit anno 1580. In eodem verò ſacello corpus ipſius poſt mortem ſepultum fuit, ubi modò ejus ſtatua eleganti opere elaborata conſpicitur.

XXIV.

VIGILAT.

DRACO qui in foribus templi vigilans hîc cernitur, ille eſt quem GREGORIUS geſtabat in parma gentilitia; alluditque ad draconem qui olim ad portam templi, in quo vellus aureum ſervabatur, excubias agebat, indicatque ſummam hujus Pontificis vigilantiam.

XXV.

OPTIME REGITUR.

DRACO idem teſſeræ gentilitiæ GREGORII conſpicitur, in formam gubernaculi navis deſinens, quo declaratur typo, Pontificem iſtum, qui navis Petri gubernaculum diu tenuit, eam optimè æquè ac ſapientiſſimè rexiſſe: proindeque nummus hic ſymbolum eximiæ Pontificis noſtri ſapientiæ exhibet, ut ſuperior vigilantiæ.

XXVI.

UTRUMQUE PRÆSTAT.

TERTIUS hic nummus, in quo cernitur draco medius inter caducæum & cornucopiæ, ejuſdem Pontificis duas alias virtutes repræſentat, prudentiam ſcilicet per caducæum cum ſerpentibus, & liberalitatem per cornucopiæ. Varios autem utriuſque hujus virtutis actus præſtitit GREGORIUS, ut paſſim in ejus vita deprehendere eſt. Ait enim de illo Ciaconius: » Erat in negotiis audiendis patiens, in agendis ſolers, ac mirum in modum liberalis. » UTRUMQUE ergo ſemper PRÆSTITIT, & prudentiam & liberalitatem.

XXVII.
PRO CVNCTIS.

DRACO ille in excelſis conſtitutus, omnium ſe præbens obtutibus, hujus Pontificis libetalitatis amplitudinem prædicat: non enim Urbi ſolùm, ſed & toti Italiæ, imò univerſo orbi beneficum ſe præbuit communis pater. Conſulatur author Additionum ad Ciaconium hæc de illo referens: » Quàm liberalis » fuit GREGORIUS, dici facilè non poteſt, hunc Soli, qui univerſo præeſt orbi, » vir ingenioſus comparavit. Græci, Cypriique Turcarum tyrannide vexati, Ger- » mani, Angli, Scoti, Poloni, Moſchi, Indi, Japonii, Armeni, Maronitæ, » Hiſpani, Hungari, Illyrici, Boëmii, Moravi, Lithuani, Tranſſylvani, Saxo- » nes, Helvetii, Galli, Itali, nobiles, docti, indocti, virgines, viduæ, vitis » junctæ, parentibus ſubjecti, orbati, templa, pia loca, familiæ Religioſæ & » ſæculares, Gregorianæ liberalitatis fuerunt inexpertes. » Meritò ergo hîc PRO CVNCTIS Reipublicæ Chriſtianæ à cœlo datus Pontifex prædicatur.

XXVIII.
SPES OPIS EIUSDEM.

QUEMADMODUM ſerpens æneus, quem conflavit & erexit Moyſes in deſerto, fuit ſignum illud ſaluberrimum, in cujus aſpectu & virtute ſpem omnem conſtituerant Iſraëlitæ, ut ejus ope à ſerpentibus quibus infeſtabantur, fierent immunes: ſic GREGORIUS, per draconem ſui ſtemmatis hîc deſignatus, tota ſpes fuit populi Romani, in ejuſque præſidio omnem fiduciam ſuam collocaverat, cùm peſtis per Italiam, quam undique devaſtabat, graſſaretur. Legitur enim apud Ciaconium: » Gravi peſtilentiâ Italiam, præſertim Triden- » tum, Mediolanum, & Venetos vexante, Pontifex diſtributâ in pauperes pecu- » niâ, ſupplicationes indixit, & ſanctiſſimis precibus Romam de clade libe- » ravit.

XXIX.
VIA AB VRBE AD SACRAM ÆDEM EXPEDITA.

PIO affectu erga ſacram ædem Virginis Lauretanam ductus GREGORIUS, vias quæ ad eam Româ præcipuè tendebant, reddidit commodiores, ut ſcribit Turſellinus: » Satis gnarus erat vias quæ Lauretum petebant, etiam in ipſa » Pontificis ditione, multis locis eſſe aſperas anguſtaſque, vix ut equiti pediti- » que expeditus pateret aditus. Pulchrum fore B. Mariæ Lauretanæ ratus eſt iti- » nera adeò lata & munita eſſe, ut etiam quadrigis facilè ac tutò adiri poſſet. » Itaque præcipuas vias regio ſumptu, propè ad veterem illam Romanorum ma- » gnificentiam, etiam per ſaxa & rupes aperuit, munivitque, nempe vel in ipſis » Apennini jugis via tanta eſſet amplitudine, ut quadrigæ inter ſe occurrentes » ſine periculo concurrerent. » In hujus autem beneficii gratiam nummus iſte editus eſt.

XXX.

XXX.

IN LVMINE TVO CERNIMVS LVMEN.

Lumen illud de quo hîc agitur, illud eſſe arbitror de quo Pſaltes Regius olim cecinit, *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis*; verbum Dei ſcilicet, ſive ſacra Scriptura, quam expurgavit Gregorius. Dicitur enim in Additionibus ad Ciaconium: „ Bibliis expurgandis animum adjecit Grego„rius, varia monumenta & exemplaria manuſcripta ex diverſis regionibus Ro„mam advehi præcepit, hominum linguarum cognitione, & Theologica ſcien„tia præditorum Congregationem ad hoc inſtituit. „ Hujus ergo lemmatis ſenſus eſſe videtur. In illa Biblia emendatiori quam nobis exhibes, clariorem habebimus ſacrarum Scripturarum intelligentiam.

XXXI. XXXII.

VIATORVM SALVTI.

Pons duobus his numiſmatibus expreſſus ille eſt, quem Gregorius conſtrui curavit in territorio Urbevetano, vulgò *Orvietto*, ſuper flumen *Paglia* dictum Italicè, Latinè Pelia, commoditati publicæ ejuſdem regionis, ipſiuſque nomine Ponte Gregoriano modò nuncupatus. Pelia autem fluvius à monte Tuniaco ducit originem, & in Tyberim influit. Caput autem bovis in ima primi nummi parte depictum ſignificat pinguiſſima ad hujus fluminis ripas inveniri paſcua, quibus boum armenta aluntur & impinguantur.

XXXIII.

SEMINANS IN BENEDICTIONIBVS.
DE BENEDICTIONIBVS ET METIT.
ITE OPERAMINI IN VINEA DOMINI.

XXXIV.

GREGORIVS XIII. PONT. MAX.
COLLEGIVM SOCIETATIS IESV, &c.

XXXV. XXXVI.

VT ERVAT PRÆDAM CAPTIVORVM FRATRVM.
ABRAHAM TRECENTOS VERNACVLOS EXPEDITOS NVMERAT.

XXXVII.

SACERDOS MAGNVS IN VITA SVA SVFFVLSIT DOMVM.

XXXVIII.

GREGORIVS BONAS ARTES ALIT ET VERÆ RELIGIONI SVBIICIT.

ISTA ſex numiſmata ſpectant ad Collegii Romani inſtaurationem, quod GREGORIUS fundavit, & ampliſſimè dotavit, ut eſſet omnium nationum Seminarium, in eoque omnis linguæ alumni Societatis Jeſu bonis artibus inſtruerentur, qui deinde univerſis gentibus Evangelium prædicarent, & barbaros ad fidem converterent, eſſentque velut recenti vernaculi ad Abrahamo miſſi, qui captivorum fratrum animas à dæmonis tyrannide eruerent. In cujus rei monumentum hæc inſcriptio appoſita fuit.

GREGORIO XIII. PONT. MAX.
HVIVS COLLEGII FVNDATORI
SOCIETAS IESV AMPLISSIMIS AB EO PRIVILEGIIS MVNITA,
ET INGENTIBVS AVCTA BENEFICIIS,
VNIVERSA IN HOC TOTIVS ORBIS SEMINARIO
PARENTIS OPTIMI MEMORIAM,
SVIQVE GRATI ANIMI MONIMENTVM POSVIT.

Legitur etiam in ejuſdem Collegii valvis hæc marmorea inſcriptio.

GREGORIVS XIII.
RELIGIONI AC BONIS ARTIBVS
M. D. LXXX.

Quæ quidem cum XXXVIII. numiſmate optimè conveuit, in quo Artes liberales conſpiciuntur, Religionem Chriſtianam, quæ in eo principem locum habet, ſubmiſsè venerantes.

XXXIX.

VT FAMVLVM TVVM GREGORIVM CONSERVARE DIGNERIS.

TEMPLUM quod hic nummus exhibet, illud ipſum eſſe arbitror, quod Tuſculi in honorem B. Gregorii erexit GREGORIUS XIII. de quo hæc ſcripſit Ciaconius: „ Tuſculi, quò ſalubrioris auræ gratia libenter abibat, ad „ montem Porcium, pro re ſacra ruſticis facienda, templum erexit, & ſancto „ Gregorio dicavit.

X L.

ANNO RESTITVTO M. D. LXXXII.

CUM annus compleatur per 365. dies & ſex horas, demptis aliquot minutis, factum eſt ut ex illarum minutarum neglectu, temporis tractu ita earum numerus excreverit, quòd invicem junctæ, dies decem, à tempore Nicæni Concilii ad annum 1582. conſtituerint, ex quo factum eſt ut Æquinoctium vernum ſedem ſuam mutaverit, & à decimo quarto Lunæ longiùs abceſſerit. Cui malo ut occurreret GREGORIUS, primùm decem dies in menſe Octobri ejuſdem anni 1582. exemit, ſicque poſt quartam S. Franciſco ſacram, non quinta, ſed decima quinta Octobris numerari cœpit. Deinde ut in poſterum hic error vitaretur, & ne à XII. Kalend. Aprilis Æquinoctium vernum recederet, ſtatuit, non ſolùm biſſextum quarto quoque anno continuari, ſed etiam ut quarto quoque ſæculo ſcilicet in quadringentis quibuſque annis, una dies menſe Februario adderetur, videlicet in annis 2000. 2400. 2800. 3200. & ſic deinceps obſervaretur. Caput autem Arietis hîc depictum cum ſtellis deſignat Æquinoctium vernum, floribus ideo adornatum, quod evenit cùm Sol eſt in ſigno Arietis. Serpens autem qui in ſtemmate gentilitio hujus Pontificis conſpicitur, in gyrum ductus, ſymbolum erat Æternitatis apud antiquos, ſicque Kalendarii ita diſpoſiti perpetuam durationem hîc ſignificat.

X LI.

MONASTERIORVM ECCLESIARVMQVE FVNDATORI, &c.

JURE meritò GREGORIUS Monaſteriorum & Eccleſiarum Fundator prædicatur: plures enim aut de novo erexit, & dotavit; aut collabentes reparavit. Jam de Nazianzena & Tuſculana diſſeruimus; legitur præterea in elogio tabulæ marmoreæ quæ ipſius ſtatuæ in Capitolio ſubjacet.

GREGORIO XIII. PONT. MAX.
OB FARINÆ VECTIGAL SVBLATVM,
VRBEM TEMPLIS ET OPERIBVS MAGNIFICIS EXORNATAM, &c.

Inter alias autem ædes ſacras Domum piam, de qua hîc mentio, à Pio IV. ædificatam ut in ea mulieres admitterentur, quæ pudicitiæ nuntium miſerant, variis affecit beneficiis, in quorum memoriam Cardinalis Protector, Gubernator, ac ejuſdem domus confratres, hunc nummum cudi fecerunt.

Digitized by Google

XLII.

CAPITOLIVM. SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS.

TESTATUR Ciaconius quòd inter alia beneficia quæ populo Romano contulerat GREGORIUS, » Capitolium ornavit, & farinæ vectigal remiſit.« Quare Pontifici optimo ut gratularetur Civitas, marmoream ipſius ſtatuam, in ipſo Capitolio hîc depicto, erigi curavit.

XLIII.

S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI.

SENATUS Populuſque Romanus mājorum ſuorum veſtigiis inhærentes, qui optimis Imperatoribus Veſpaſiano, Trajano, & Antonino, numiſma cum hoc lemmate in corona OPTIMO PRINCIPI olim dicaverant, GREGORIO quoque optimo Pontifici, virtutum omnium ornamentis inſignito, parem nummum fieri curaverunt.

XLIV.

IVSTITIA PACEM COPIAM PAX ATTVLIT.

XLV.

GREGORIO PASTORI OPTIMO PATERNA CHARITATE QVIESCENTI. PASCE OVES MEAS.

HÆc duo numiſmata inſigniores hujus Pontificis virtutum dotes exhibent, ſcilicet Pietatem, Liberalitatem, & Charitatem, quæ maximè in eo eluxerunt, ut ex hoc elogio, in ejus perenne decus marmori in Capitolio inſcripto deprehenditur.

GREGORIO XIII. PONTIFICI MAXIMO
OPTIMO PRINCIPI,
QVI PER ROMANOS MAGISTRATVS
ET ECCLESIASTICAS DIGNITATES
IVSTITIAM ET PIETATEM COLENS,
AD PONTIFICIAM SEDEM EVECTVS,
VNIVERSAM REMPVBLICAM CHRISTIANAM
SVMMA PRVDENTIA ET CHARITATE MODERATVR.

Prædicantur

Prædicantur ergo in hoc elogio quatuor iſtæ virtutes hiſce nummis deſignatæ: IVSTITIA, quæ libram ſuſtinet: PIETAS, quæ pacem fovet: PROVIDENTIA vigilantiſſimi Paſtoris, quæ copiam affert: & optimi parentis CHARITAS, quæ in omnes diffunditur.

XLVI.

AB REGIBVS IAPONIORVM PRIMA AD ROMANVM PONTIFICEM LEGATIO ET OBEDIENTIA.

IAPONIENSES ad fidem, Patrum Societatis Jeſu curâ & miniſterio converſi, legationem ad Summum Pontificem miſerunt, quâ ſuam erga Deum religionem, & ſummam in Sedem Apoſtolicam obſervantiam teſtarentur. Quod in tabula marmorea apud Capitolium poſteris fuit commendatum his verbis:

OB PATERNAM ERGA OMNES GENTES CHARITATEM,
QVA EX VLTIMIS NOVI ORBIS INSVLIS
IAPONIORVM REGVM LEGATOS TRIENNI NAVIGATIONE,
AD OBEDIENTIAM SEDI APOSTOLICÆ EXHIBENDAM,
PRIMVM VENIENTES,
ROMAM PRO PONTIFICIA DIGNITATE EXCEPIT.


XLVII.

DOMINE ADIVVA NOS.

AUXILIUM Chriſti implorat Pontifex, ut navem Eccleſiæ, cujus clavum tenebat, in mari fluctuantem, ſæpiuſque procellis & turbinibus agitatam, fauſtè feliciterque poſſet dirigere.

Obiit 10. Aprilis 1585. anno ætatis 84. Pontificatus 13.


SIXTVS V PONT MAX AN I
I TE VENIRE DOMINE IVBE ME AD
II CVRA PONTIFICIA
III VADE FRAN REPARA
IV ANN II
V PERFECTA SECVRITAS
VI FECIT IN MONTE CONVIVM PINGVIVM
VII VIGIL T SACRI THESAVRI CVSTOS
VIII SACRA PROPHANIS PREFEREND
IX
X FIERI FECIT
XI FOELIX PRESIDIVM
XII POPVLI CHRISTIANI TROPHAEVM
XIII SACRA O CVLO SPECTAT
XIV TERRA MARI Q S ECVRITAS
XV SVPER HANC PETRAM
ROMA


SIXTVS·V·PONT·MAX·
AN·V
XVI
ECCE·REGNVM·DEI·
XVII
DOMVS·MARIÆ·LAVRETANÆ·FACTA·CIVITAS·1586
XVIII
EXALTAVIT HVMILES
1587
XIX
PALVD·SICCATI·CONCESS
XX
ALCALA·IN·SPAGNA·CAD·P·SIXT·
XXI
ANNO·QVARTO·EREXIT
XXII
BENEFICIVM
XXIII
XXIV
XXV
SIC·OMNIA TVTA
XXVI
XXVII
PONS·FELIX
AN·DOM·MD LXXXIX
XXVIII
PVBLICAE·COMMODITATI
XXIX
CONSTANT·RESTITVTA

SIXTUS V.

FELIX PERRETTVS,

Picenus,

Electus 12. Aprilis M. D. LXXXV.

De ventre matris meæ tu es protector meus.

I.

DOMINE IVBE ME AD TE VENIRE.

AD ſummum Pontificatum aſſumptus SIXTUS difficillimis ac tumultuoſis valdè remporibus, ad Chriſtum ejus auxilium deprecatiirus confugit, clamans cum Petro, DOMINE IVBEME VENIRE AD TE SVPER AQVAS. Quod quidem in ejus diplomate ſar aperrè declaratur his verbis: » Ad clavum Apoſtolicæ ſervirutis in puppi mili-
» ranris Eccleſiæ difficillimis his remporibus conſtituti,
» non ſolùm præſenres fluctus, quibus B. Petri navicula
» ſæpius jactarur, menre pervigili circunſpicimus, ſed
» procul etiam arque à longè impendentes rempeſtates, non ſine magna animi
» ſollicitudine proſpicimus. Circunſtanr Nos undique multorum generum peri-
» cula, malà inteſtina quotidie ingraveſcunt, bella ardent, provinciæ hæretici in
» Nos odio implacabili inflammati rapiuntur, hoſtis implacabilis Turca cervici-
» bus noſtris imminet, &c. Non in Nobis ipſis ſpem collocamus, neque carnem
» ponimus brachium noſtrum, ſed oculos in cœlum ſuſtollimus ad Cuſtodem Iſ-
» raël, &c.

II.

CVRA PONTIFICIA.

CURA quidem pervigilis hujus Pontificis ſe ad id extendit, ut quatuor Urbis vias publicas ampliores ornarioreſque redderet, quæ quidem in hocce nummo deſcribuntur, & per Cicarellam his verbis exprimuntur. » In viis quo-
» que aperiendis, reſtaurandis ac dilatandis erat ſtudioſus. Novam fecit, eam-
» que celeberrimam, cujus initium eſt ab Eccleſia S. Crucis in Jeruſalem, ad Ec-
» cleſiam S. Mariæ Majoris extendirur, atque hinc uſque ad Templum S. Trini-
» ratis percurrit; tam lata, ur quinque ſimul junctis carpentis tranſitum præbeat:
» viam hanc à priori ſuo nomine FELICEM nuncupavit. Fecir & alias duas vias,
» quarum principium eſt extra portam S. Laurentii: harum una ducit ad S. Mariam

« Majorem, altera vineam Pontificis ab uno latere claudens, ad Thermas Dio-« cletiani. Quarta via incipit à S. Maria Majore, & ad Palatium S. Marci exten-« ditur. « Quæ quidem viæ in hoc nummo delineatæ conſpiciuntur notis quibuſdam deſignatæ.

III.

VADE FRANCISCE REPARA.

ALLUDIT ad id quod legitur de S. Franciſco in ejus vita; quòd eum ſcilicet Laretanenſem Baſilicam collabenrem ſuſtinere viderat in ſomnis Incentius III. Idem præſtitit SIXTUS ejus diſcipulus, cùm eandem Eccleſiam vetuſtate collabentem obfirmavit ac reſtauravit, imò etiam ornavit. Quod reſtatur Cicarella his verbis: « Eleganriſſimum opus SIXTUS ille Pontifex in Laterano « conſtruxit ad populum benedicendum, in quo & varia pingi artificioſiſſimè « fecit. «

IV.

PAVPERIBVS PIE ALENDIS EXTRVXIT.

PONTIFEX iſte in capire Plateæ Juliæ, à latere Pontis Sixri, ampliſſimas ædes ad Tyberis ripam fieri curavit, in uſum pauperum & mendicorum, quibus deerat faculras victum ſibi comparandi, haſque dotavit quindecim millium ducatorum proventu, eaque capacitare conſtruxit, ut in eis bis mille homines poſſent habitare. In fronte autem portæ præcipuæ hæc ſculpta leguntur.

SIXTVS V. PONT. MAX. PICENVS,
PAVPERIBVS PIE ALENDIS,
NE PANE VESTITVQVE CAREANT,
MVLTO SVO EMPTAS ÆRE,
HAS ÆDES EXTRVXIT, APTAVIT, AMPLIAVIT,
PERPETVO CENSV DOTAVIT,
ANNO M. D. LXXXVI. PONTIF. II.

V.

PERFECTA SECVRITAS.

SCRIBIT de eo Cicarella, quòd Pontifex renuntiatus, « cogitationes ſuas « omnes convertit ad extirpandum magnum Banditorum numerum, qui ab « omni parte Statum Eccleſiaſticum affligebant, quorum tanta erat inſolentia, « ut nuſquam locus inveniretur ubi homo ſecurè vivere & ſua tueri poſſet. « Unde depingitur hîc viator ita ſecurè in viis publicis, ſub ilicis umbra dormiens, ut crumenam juxta ſe palam expoſitam habere non diffidat. In hujus autem beneficii memoriam, non ſolùm nummum iſtum liberalitatis publicæ teſtem, SIXTO dicarunt Romani, ſed & ſtatuam æneam in Capitolio erexerunt cum hac epigraphe.

SIXTO V. PONT. MAX.
OB QVIETEM PVBLICAM.
COMPRESSA SICARIORVM LICENTIA RESTITVTAM.

VI.

VI.

FECIT IN MONTE CONVIVIVM PINGVIVM.

TRES his ſymbolis deſignantur Pontificis hujus virtutes, in tribus ſui ſtemmatis montibus radicatæ, ſcilicet JUSTITIA per gladium & libram, PAX per oleam, & ABUNDANTIA ſeu liberalitas per cornucopiæ. JUSTITIA autem ejus commendatur his Cicarellæ verbis: „ Per primos Pontificatus ſui dies ad „ Juſtitiam adminiſtrandam animum adjecit, & quadam die quatuor juſſit in furcam agi ac ſtrangulari, qui ante triduum cum ſclopetis prohibitis deprehenſi, „ in carcere detruſi erant, neque ulla interceſſio, etiam virorum ſummæ authoritatis, apud illum valuit, quominus ſuſpenderentur; quæ illius auſteritas terruit & continuit multos, multorumque audaciam refrænavit. „ ABUNDANTIA autem, quæ ipſo regnante Urbem affecit, ſic prædicatur. „ Ob rerum neceſſariarum abundantiam, quam & tunc, & toto Pontificatus ſui tempore Romæ ſervari mandavit, ut multis Italiæ locis inediâ afflictis, Roma ſemper abundaret. „ PAX verò extollitur, quam impensè coluit, ac toto Pontificatus tempore ſtudioſiſſimè fovit. Cur autem inſcribatur CONVIVIUM PINGUIUM, nondum deprehendi, niſi fortè quia pingues oleæ hîc apponuntur: alludit etiam ad eadem Iſaïæ verba cap. 25.

VII.

VIGILAT SACRI THESAVRI CVSTOS.

1586.

QUOD Paſtoralis vigilantiæ ac providentiæ officium à SIXTO exigebat, ne urbs repentinâ quâpiam & improviſâ vi, ut priùs, opprimeretur, & ne ad dubios caſus pecunia deficeret, hoc ſanè præſtitit, cùm decies centena aureorum millia, nullo onere plebi impoſito collecta, ſed Pontificiâ potiùs parſimoniâ & frugalitate comparata, in Arce S. Angeli ſervanda collocavit, Chriſtoque ac beatis Apoſtolis ea lege obtulit ac dicavit, ut non liceret vel minimam partem inde educere, niſi ob cauſas quæ Reipublicæ Chriſtianæ, vel urbis præſidium & commodum ſpectarent, prout in Bulla hac de re edita, ex qua iſta depromſi, fusè enumerantur. Leo autem in SIXTI ſtemmate gentilitio depictus, ſcriniis incubans, iis invigilare videtur, ut Pontificis ſummam deſignet vigilantiam. THESAVRVS autem ille SACER dicitur, quòd Chriſto & beatis Apoſtolis ad Eccleſiæ uſum & emolumentum fuerit dicatus.

Digitized by Google

VIII.

SACRA PROPHANIS PRÆFERENDA.

COGITAVIT etiam SIXTUS Obeliſcum illum ingentem, quem quondam Nancoræus Ægypti Rex circa tempora Numæ Pompilii Heliopoli Soli erexerat, & Caius Caligula Romam inde advectum, Auguſto & Tiberio Imperatoribus dicaverat, tunc neglectum, humi jacentem, ruderibuſque ac terrâ penè obrutum ac deliteſcentem, in atea ante fores Templi S. Petri erigere, ac S. Cruci, in ejus ſummitate conſpiciendæ, decrevit conſecrare, Dominici Fontanæ eximii Archirecti operâ & induſtriâ mirabili; cujus machinæ in libro ad hoc edito æreis tabulis delineatæ proponuntur. Expenſæ autem ſumma ad 37965. millia coronatorum pervenit. Hujus autem Obeliſci altitudo ad 72. pedes excurrit. Materia verò eſt quoddam marmoris genus maculis rubeis conſperſum, quod ideo priſci pyropiticon, noſtri verò granitum vocant. Antiqua autem & prophana ejuſdem inſcriptio hæc erat:

D. CÆSARI D. IVLII F. AVGVSTO.
TIBERIO CÆSARI D. AVGVSTI F. AVGVSTO
SACRVM.

Moderna autem & facta à SIXTO appoſita.

SIXTVS V. PONT. MAX.
CRVCI INVICTÆ OBELISCVM VATICANVM
AB IMPVRA SVPERSTITIONE EXPIATVM
IVSTIVS AC FELICIVS CONSECRAVIT,
M. D. LXXXVI. PONT. II.

IX.

VRBS LAVRETANA.

X.

FIERI FECIT.

SANCTISSIMAM Dei Matrem Laureti cultam præcipuo ſtudio veneratus eſt; ſiquidem ejus intuitu Lauretum urbem jure civitatis donavit, ac Epiſcopali Sede decoravit. Hoc etiam Pontifice ſacra hujus ædis facies ad faſtigium perducta eſt; & ejus portas ex ære celatas, 40. aureorum millibus, ipſum SIXTUM collocaſſe tradit Turſellinus; in quorum monumentum duo hæc numiſmata cuſa fuere.

XI.

FOELIX PRÆSIDIVM.

1588.

XIV.

TERRA MARIQVE SECVRITAS.

1588.

DE SIXTO quoque legitur, quòd portum ad Centum-Cellas, nunc *Civitá Vecchia*, de quo ſæpius jam egimus, commodiorem & ſecuriorem effecit, quod his etiam duobus numiſmatibus poſteris etiam teſtatum eſt : ſtatuitque ut in eo triremes quinque ad publicam ſecuritatem tuendam ſemper paratæ & expeditæ, omnibuſque neceſſariis inſtructæ, haberentur.

XII.

POPVLI CHRISTIANI TROPHÆVM.

JUSSIT etiam Pontifex Obeliſcum alterum ſub terra defoſſum erui juxta ædem ſancti Rochi, quem aiunt illic quondam fuiſſe poſitum, ut eſſet ornamentum Mauſolæi Auguſti Cæſaris. Qui quidem cùm plures in partes diu fractus jacuiſſet, reparatus tandem eſt hujus Pontificis curâ, & ante S. Mariæ Majoris Templum erectus ab ipſo Dominico Fontana, ac ſalutiferæ Crucis vexillo inſignitus cum hac epigraphe.

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM ÆGYPTO AB AVGVSTO ADVECTVM
IN EIVS MAVSOLÆO DICATVM,
EVERSVM DEINDE ET IN PLVRES CONFRACTVM PARTES,
IN VIA AD S. ROCHVM IACENTEM,
IN PRISTINAM FACIEM RESTITVTVM,
SALVTIFERÆ CRVCI FELICIVS HIC ERIGI IVSSIT
ANNO M. D. LXXXVI. PONT. III.

Hæ autem tres inſcriptiones in tribus cæteris ſtylobatæ faciebus inſculptæ leguntur.

CHRISTVS PER INVICTAM CRVCEM
POPVLO PACEM PRÆBEAT,
QVI AVGVSTI PACE
IN PRÆSEPIO NASCI VOLVIT.

CHRISTI DEI IN ÆTERNVM VIVENTIS
CVNABVLA LÆTISSIME COLO,
QVI MORTVI SEPVLCHRO AVGVSTI,
TRISTIS SERVIEBAM.

CHRISTVM DOMINVM,
QVEM AVGVSTVS DE VIRGINE NASCITVRVM,
VIVENS ADORAVIT,
SEQVE DEINCEPS DOMINVM DICI VETVIT,
ADORO.

Obſervandum autem quòd in eadem Eccleſia S. Mariæ Majoris ſacra Chriſti cunabula exiſtunt.

XIII.

SACRA OCVLO SPECTAT IRRETORTO.

1587.

Revocare juvat in memoriam quod ſuperiùs retulimus ad VII. nummum de ærario apud Caſtellum S. Angeli à Sixto recondito anno 1586. Per hunc autem declaratur eundem Pontificem anno ſequenti 1587. decies quoque centena millia aureorum in eodem Caſtro S. Angeli depoſuiſſe ſervanda, Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ uſibus conſecrata. Pecuniam ergo ſactam hanc vigili oculo ac irretorto cuſtodire fingitur leo in Pontificis gentilitio ſtemmate appoſitus.

XV.

SVPER HANC PETRAM.

Cum eſſet Sixtus ædificandis publicis operibus intentus, Templi ſancti Petri fabricam non mediocriter promovit, ac imprimis ejuſdem fornicem miro opere perfecit, de qua hæc habet Cicarella in hujus Pontificis vita. » In ipſa » ſancti Petri fabrica multa conſtruxit, ita ut dictæ Eccleſiæ navis ſeu moles ipſa » abſoluta ſit, qua non excelſior eſſe dicitur. In hoc opere continuè ſexcenti ho- » mines deſudarunt.

XVI.

ECCE REGNVM DEI.

Hoc numiſma denotat Sixti Pontificatum, qui REGNVM DEI jure dici poteſt, deſignaturque per tiaram à ſancto Spiritu, ſub columbæ ſpecie hîc expreſſo, cælitùs ipſi miſſam, quam ſupplex cum ſancto Franciſco, cujus alumnus erat, recepit. Tiara autem Pontificia triplici coronâ refulgens Regnum dicitur. Leo autem & canis hîc aſſidentes, ſummam Pontificis vigilantiam, & non vulgarem animi fortitudinem demonſtrant.

XVII.

DOMVS MARIÆ LAVRETANÆ. FACTA CIVITAS.

1585.

Affinitatem habet nummus iſte cum X. & XI. idemque planè ſonat, ſcilicet villam Lauretum Sixti beneficio factam fuiſſe civitatem, ab eoque civitatis jure donatam.

XVIII.

EXALTAVIT HVMILES.

BEATORUM Apoſtolorum Petri & Pauli icones columnæ inſidentes teſtantur nummum hunc cuſum fuiſſe in memoriam SIXTI V. quòd clariora Romanæ antiquitatis monumenta, columnas ſcilicet Trajani & Antonini, ſitu & carie corroſas, fractaſque ac diſruptas, reparari curaverit; in earumque faſtigio Apoſtolorum Principum ſtatuas æneas erexerit; ſicque HVMILES PISCATORES ITA EXALTAVERIT, ut eoſdem Imperatoribus, quorum imagines illic per tot ſæculorum curricula reſederant, prætulerit ac præpoſuerit.

XIX.

PONTINAS PALVDES SICCARI CONCESSIT. 1588.

PUBLICI beneficii monimentum eſt, quòd SIXTUS V. PONTINAS PALVDES EXSICCARI CONCESSERIT ac mandaverit. Hæ autem Paludes ſunt in Latio ſeu Campania Romana, inter Appii Forum & Terracinam, olim adeò patentes, ut 23. urbes, teſte Plinio, circunſtarent. De his agit Lucanus hoc verſu.

Et qua Pontinas via dividit uda paludes.

Hæc autem via eſt, quam Trajanus per mediam paludem ſaxo ſtravit, ut numiſma ad id cuſum reſtatum reliquit. Exſiccari tamen nondum potuerant illæ Paludes, ob rivos aquarum confluentes.

XX.

SAN DIEGO DI ALCALA IN SPAGNA CANONIZACION DI PAPA SIXTO V.

EXIGUUM hoc numiſma deſignat piam illam ac ſolemnem pompam, qua per SIXTUM V. S. Diego, ſeu Didacus di Alcala, ex Franciſcanorum familia, in Sanctorum album relatus eſt anno 1588. id agente & petente Philippo Hiſpaniarum Rege, per Henricum de Guſman, Comitem de Olivarez, ſuum Oratorem. Nummi autem inſcriptio Hiſpanica ſic legi debet, SAN DIEGO DI ALCALA IN SPAGNA CANONIZACION DI PAPA SIXTO V. Civitas autem quæ hîc conſpicitur, urbs eſt Alcala, unde Beatus iſte ſumpſit cognomen, quòd in ea diu degerit. Crucem autem arundineam manu geſtat eo planè modo, vultu, & habitu, quibus eum in ſomnis conſpexerat Carolus Philippi II. Hiſpaniarum Regis primogenitus, cùm ipſum à gravi capitis vulnere cœleſti virtute ſanavit.

XXI.
QVARTVM ANNO QVARTO EREXIT.
XXIII.
B. MARIÆ DE POPVLO
QVARTVM ANNO QVARTO EREXIT.

IN his duobus nummis depingitur Obeliſcus quem erexit SIXTUS V. in platea Eccleſiæ B. Mariæ de populo. Primùm tumulo Senneſettei Ægypti Regis, apud Heliopolim ſepulti, inſervierat: unde Romam Cæſare Auguſto imperante, fuerat allatus, ut ex hac inſcriptione ſtylobatæ appoſita perſpicuum eſt.

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM HVNC A CÆSARE AVGVSTO
SOLI IN CIRCO MAXIMO
RITV DICATVM IMPIO,
MISERANDA RVINA FRACTVM OBRVTVMQVE,
ERVI, TRANSFERRI, FORMÆ SVÆ REDDI,
CRVCIQVE INVICTISSIMÆ DEDICARI IVSSIT
M. D. LXXXIX. PONT. IV.

XXII.
PVBLICVM BENEFICIVM.

VIRGO aquam fundens, undequaque cinĉta aquæduĉtibus, Aquam Virginem, de qua ſuperiùs diſſeruimus, deſignat, quam SIXTUS V. copioſiorem in urbem invexit, deque ſuo priori nomine FELICEM appellavit. Hæc autem habentur in diplomate ab ipſo Pontifice hac de re confeĉto, quod videre eſt in Bullario Laërtii Cherubini. „ Ut urbs in ipſis collibus incrementum acciperet, ab eodem Pontificatus noſtri initio aquam illius, quæ in agro Columnæ, viâ præneſtinâ, ſiniſtrorſum concipitur, compluribus aquarum ſcaturiginibus auximus, & potiſſimum Aquæ Martiæ (ſeu Virginis:) quæ quia gelida & ſalubris, ideo omnium aquarum jucundiſſima, & apud veteres ſaluberrima cenſebatur. Ramo quem ex proprio aquæduĉtu, magnâ tamen ex parte diruto, deſumpſimus, uberioris aquæ copiæ in urbem adducendæ causâ conjunximus, quæ ſimul junĉtæ, ſeptingentarum & plurium unciarum quantitatem faciunt, & admirabilem ſpecie pulchritudinem, immenſamque hauſtu jucunditatem oſtentant, duĉtu ſinuoſo à capite millium paſſuum duorum & viginti; eamque per duos arcus inſignes in eodem aquæduĉtu, ad perpetuum rei monumentum, everſos, alterum nimirum duobus ab urbe milliaribus, alterum verò intra urbem ad portam S. Laurentii, tranſire juſſimus, & ſummâ totius urbis lætitiâ in montem Quirinalem, ad plateam S. Suſannæ tandem adduximus, & adduĉtam, de proptio noſtro nomine FELICEM appellavimus. „

XXIV.
AD LATERANVM PVBLICVM CONSISTORIVM CELEBRAVIT.

RAMISCES Ægypti Rex Thebis in templi Solis ornatum hunc Obeliſcum, ſacris Ægyptiorum notis inſignitum, quondam erexerat, ſed à Cambyſe flammis, quibus Thebæ conflagrarunt, ſubtractum, Magnus Conſtantinus Alexandriam, inde Conſtantius Romam deferri juſſit, & in Circo maximo collocavit. Hæ autem inſcriptiones in baſi leguntur.

FL. CONSTANTIVS AVG. CONSTANTINI AVGVSTI FILIVS,
OBELISCVM A PATRE LOCO SVO MOTVM,
DIVQVE ALEXANDRIÆ IACENTEM,
TRECENTORVM REMIGVM IMPOSITVM
NAVI MIRANDÆ VASTITATIS,
PER MARE TYBERIMQVE
MAGNIS MOLIBVS ROMAM CONVECTVM,
IN CIRCO MAXIMO PONENDVM
S. P. Q. R. D. D.

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM HVNC SPECIE EXIMIA,
TEMPORVM CALAMITATE FRACTVM,
CIRCI MAXIMI RVINIS, HVMO LIMOQVE ALTE DEMERSVM,
MVLTA IMPENSA EXTRVXIT,
HOC IN LOCO MAGNO LABORE TRANSTVLIT,
FORMÆ PRISTINÆ ACCVRATE RESTITVTVM,
CRVCI SANCTISSIMÆ DICAVIT
ANNO M. D. LXXXVIII. PONT. IV.

In platea verò ante ſacram ædem Lateranenſem conſpicitur.

XXV.
SIC OMNIA TVTA.

NIHIL aliud circa numiſmatis hujus elucidationem occurrit, quàm id quod ſuperiùs expoſuimus de viarum publicarum, hîc delineatarum, ſecuritate, cùm à prædonibus & ſicariis SIXTI vigilantiâ, & juſta ſeveritate, per ſui ſtemmatis leonem deſignatâ, factæ ſunt liberæ. Unde in poſterum SIC OMNIA TVTA evaſerunt.

XXVI.
B. DIDACVM HISPANVM IN SANCTORVM NVMERVM RETVLIT.

ALTERUM eſt monumentum piæ illius celebritatis, qua inter Sanctos B. DIDACUS, vulgò *Diego*, Ordinis Minorum, relatus eſt. Præſul autem ante

Summum Pontificem hîc procumbens & deprecans, ipſe eſt Petrus Cardinalis Deza Hiſpanus, Catholici Regis Orator, qui ejus nomine inſtantiſſimè poſtulat, ut B. DIDACUS in album Sanctorum aſcribatur, quod tandem à SIXTO V. conceſſum eſt, effectumque die ſecundâ Julii beatæ Mariæ Viſitationi ſacrâ anni 1588. ſolemni adeò pompâ, ut vix quicquam antea ornatius pari celebritate Romæ viſum fuerit.

XXVII.

PONS FELIX
AN. DOM. M. D. LXXXIX.

XXVIII.

PVBLICÆ COMMODITATI.

PONS ille ſuper Tyberim JANICULARIS quondam vocatus, poſtquam à Sixto IV. reparatus eſt, PONS SIXTVS dictus fuit, tandem à SIXTO V. etiam reſtitutus, ejus priori nomine PONS FELIX appellatus eſt.

XXIX.

RESTITVTA MEMORIA FLAVII CONSTANTINI.


ANTIQUA & famoſa illa Phidiæ & Praxitelis opera, quæ fracta obſcuro ac minùs commodo loco latebant, ad Quirinalem montem, prope Palatium Pontificium, in pervium & patentem locum tranſtulit SIXTUS, ut hæc docet inſcriptio.

SIXTVS V. PONT. MAX.
SIGNA ALEXANDRI MAGNI,
CELEBRISQVE EIVS BVCEPHALI
EX ANTIQVITATVM TESTIMONIO
PHIDIÆ ET PRAXITELIS ÆMVLATIONE,
HOC MARMORE AD VIVAM EFFIGIEM EXPRESSA,
A FL. CONSTANTINO MAXIMO E GRÆCIA ADVECTA,
SVISQVE THERMIS IN HOC QVIRINALI MONTE COLLOCATA,
TEMPORIS VI DEFORMATA,
AD EIVSDEM IMPERATORIS MEMORIAM,
VRBISQVE DECOREM
IN PRISTINAM FORMAM RESTITVTA,
HIC REPONI IVSSIT
ANNO M. D. LXXXIX. PONT. IV.

Obiit 9. Auguſti 1590. anno ætatis 69. Pontificatus 6.

URBANUS

Digitized by Google



URBANUS VII.

IOANNES BAPTISTA CASTANEVS,

Romanus,

Electus 15. Septembris M. D. XC.

*   *   *   *   *   *   *   *

I.

SPONSVM MEVM DECORAVI CORONA.

CUSUM fuerat hoc numiſma ad hujus Pontificis inauguṙationis monumentum. At cùm morte præventus fuiſſet, (duodecimo enim ab electionis die è vivis ereptus eſt) CORONAM illam decoris & gloriæ hîc expreſſam, quæ ipſi Romæ parata fuerat, cum cœleſti longè pretioſiori ac perenniori commutavit.

II.

SIC LVCEAT LVX VESTRA.

ALLUDIT ad id quod Chriſtus Eccleſiæ Prælatis præcipit apud Matthæum, SIC LVCEAT LVX VESTRA *coram hominibus.* Ideo enim Prælati dicuntur, ut in eminentiori gradu conſtituti, cæteris ad virtutem & pietatem facem præferant, quod ſemper & ubique præſtitit URBANUS, & dum Roſſanenſis Archiepiſcopus, & dum Nuntius Apoſtolicus, ac tandem S. R. E. Cardinalis extitit.


Digitized by Google

III.

NON POTEST ABSCONDI.

EAM habet affinitatem nummus iſte cum priori, ut inſcripta verba, non ſolùm monita Chriſti ad Eccleſiæ Prælatos eadem planè ſenſu exprimant, ſed & eminentes Pontificis hujus virtutes connotent, quas licèt ſummâ quâ pollebat modeſtiâ & humilitate, ſemper abſcondere tentaverit, attamen, SICVT NON POTEST ABSCONDI CIVITAS SVPRA MONTEM POSITA, ſic illæ ita omnium oculis patuerant, ut meritò cunctorum ſuffragiis Pontifex fuerit renuntiatus.

Obiit 27. Septembris 1590. anno ætatis 70. Pontificatus 1.





GREGORIUS XIV.

NICOLAVS SFONDRATVS,

Mediolanenſis,

Electus 5. Decembris M. D. XC.

---

* * * * * * * * *

I.

GREGORIVS XIV. PONTIF. MAX.

STEMMA gentilitium FAMILIÆ SFONDRATÆ, antiquæ ſtirpis claritate apud Mediolanenſes ſpectabilis hîc exhibetur. Hujus enim Pontificis pater Franciſcus Sfondratus urbis ſuæ Senator, Carolo V. Cæſari carus imprimis fuerat, ut & Paulo III. Pontifici, qui eum Cardinalem, uxore ſua Anna Vicecomite è vivis erepta, creaverat.

II.

DIEBVS FAMIS SATVRABVNTVR.

CIVITATI annonæ penuriâ laboranti piè ſuccurrit Pontifex, ut in ejus geſtis per Cicarellam relatis obſervatur his verbis: » Annonæ caritas tanta fuit,

„ ut Romæ & multis aliis civitatibus menſura frumenti, quam Rubium nomi-
„ nant, triginta coronatis, & pluribus etiam venderetur: ſed & quod multo pe-
„ jus eſt, etiam in tanto pretio ſæpe frumentum nullum potuit inveniri, ita ut
„ infiniti homines, ii potiſſimum qui in agris habitant, fame interierint. „ In alma autem urbe, ubi maximus erat populi concurſus, largam Pontifex aperuit manum, amplioreſque diſtribuit eleemoſynas, in quarum memoriam hic nummus fuit percuſſus.

III.

DEXTERA DOMINI FACIAT VIRTUTEM.

EX fratre nepotem Comitem Sfondratum anno 1590. in Galliam unioni confœderatæ, quæ pro fide tuenda decertare videbatur, ſuppetias laturum miſit; cúmque apud Baſilicam S. Mariæ ad Præſepe divina celebraſſet, ipſi vexillum, Pontificia manu benedictum, tradidit, quo militares equitum peditumque copias Pariſios duceret. In eo autem bello præter 40. aureorum millia, quæ ſuo ære impenderat, quinquies centum millia inſuper inſumpſiſſe traditur.

IV.

IN GRATIAM PHILIPPINARUM.

ROMÆ. 1591.

INSULÆ Philippinæ ſitæ ſunt in Aſia, in Eoo Oceano, inter Sinam & Molucas, ſuntque multiplices, milliaribus paucis à ſe invicem diſtinctæ & diſtantes, quarum præcipua eſt Manilla, quæ Hiſpanorum ditioni paret. Philippinæ autem dictæ ſunt à Philippo II. gentis hujus Rege, cujus auſpiciis incolis fuerunt inſtructæ, ac GREGORII Pontificis zelo Chriſtianæ Religionis diſciplina, per Dominicanos & Societatis Jeſu alumnos imbutæ, in quorum gratiam hoc numiſma in remotioribus hiſce provinciis deferendum ac diſtribuendum cuſum eſt.

V.


GREGEM NE DESERAS.

NON ſolùm ovibus ſibi commiſſis ſedulò invigilabat providus Paſtor, ſed quò eas meliùs regeret, ac tutiùs ſervaret, ad orationem ſæpius confugiebat, ut ipſas Chriſto ſupremo Paſtori commendaret, hæcque verba ad ipſum frequenti ferventique oratione dirigebat, GREGEM NE DESERAS.

Obiit 15. Octobris 1591. anno ætatis 57. Pontificatus 1.

INNOCENTIUS

Digitized by Google



INNOCENTIUS IX.

ANTONIVS FACHINETTVS,

Bononienſis,

Electus 30. Octobris M. D. XCI.

* * * * * * * *

I.

IVSTITIA ET PAX OSCVLATÆ SVNT.

HUjus electio ita fuit pacifica, ut omnium Patrum votis, altera die ab ingreſſu Conclavis fuerit Pontifex renuntiatus: ita Juſtitiæ conſentanea, ut jure merito Eccleſiæ claves PACIS & IVSTITIÆ cultori eximio traditæ fuerint.

II.

RECTIS CORDE.

NUMMUS iſte deſignat coronationem INNOCENTII ad ſummi Pontificatus faſtigium evecti, cujus ſolemnitas tertio Nonas Novembris anni 1591. peracta eſt ingenti Populi Romani, qui eum in Pontificem expetierat, lætitiâ. „Tam publica enim erat, (teſte Cicatella) ejus bonitas vitæque integritas; tam „perſpicui, magni, ſanctique ejus animi conceptus, ut meritò ſperare, imò

S

„ ſecurè quiſque ſibi promittere potuerit, cum maximè ſtrenuum optimumque
„ Principem futurum. „ Si ergo regnum, ſeu tiara Pontificia RECTIS CORDE debebatur, Cui magis quàm re & nomine INNOCENTIO Pontifici?

III.

PRO PHILIPPINIS ET ALIIS.

DECESSORIS ſui veſtigiis inſiſtens INNOCENTIUS, Philippinarum Inſularum, ac aliarum novi orbis regionum ſaluti & veræ Religionis propagationi viribus totis incumbens, viros Apoſtolicos, è Societate Jeſu & alibi deſumptos, ad has partes remotiores deſtinavit, qui hiſce populis Evangelii lumen deferrent, eoſque numiſmatibus his, Apoſtolica benedictione inauguratis, reficerent.

IV.

IN VERBO TUO LAXABO RETE.

INNOCENTII Pontificis Maximi ſingularem in Chriſto fiduciam connotat nummus iſte, ut de aliis ſuperiùs expoſuimus.

Obiit 30. Decembris 1591. anno ætatis 73. Pontificatus 1.



Digitized by Google


CLEMENS · VIII · PONT · MAX · A · IIII
I
FVNDATA · SVPRA · FIRMAM · PETRAM
4 G
II
FORTITVDO · MEA · ET · REFVG · MEVM ·
5 G
III
DNE · IVBE · AD · TE · VENIRE ·
4 G
IV
IN · VERBO · TVO ·
6 B
V
CONSECRATIO
4 G
VI
ET · NON · PAENITEBIT · EVM ·
CIƆIƆXCIII
5 R
VII
HENRIC · IIII · D · G · FRANC · NAV · REX · CHRISTIA
5 G
VIII
RVTHENIS · RECEPTIS
CIƆIƆXCVI
5 G
IX
TV · SCIS · DOMINE
4 G
X
VENI · DILECTA · MEA ·
5 G
XI
FERRARIA · RECEPTA
4 G
XII
PAX · REIPVBLICAE · CHRISTIANAE
3 G
XIII
REMIGRAVIT · ERIDANVS ·
1598
5 G
XIV
HINC · PAX · HINC · VICTORIA ·
4 G
XV
IVSTITIA · ET · CLEMENTIA · COMPLEXAE · SVNT · SE
5 G
XVI
EXVRGE · D · ET · DISSIP
5 H
XVII
MAGNVM · GRATIAE · SACRAMENTVM ·
LATERANI
4 G
XVIII
MAGNVM · GRATIAE · SACRAMENTVM
4 G
XIX
IVSTI · INTRABVNT · PER · EAM ·
N · DC ·
4 G

Digitized by Google


XX
AN·M·DC·
XXI
XXII
XXIII
M·D·C·
XXIV
EGO VOS REFICIAM
M·D·C·
XXV
XXVI
REGNI NATVS ET ORBI
XXVII
VNVS DEVS VNA FIDES
XXVIII
MDCI
XXIX
XXX
DA QVOD IVBES
MDCIII
XXXI
SALVA NOS DOMINE
XXXII
S·P·Q·R
M DCIIII
XXXIII
AB ORIGINE MVNDI
XXXIV
XXXV
SEQVERE
XXXVI
FERRARIA RECVPERATA
XXXVII
DRACONVM CAPITA CONFREGISTI
XXXVIII
ANNONA PVBLICA

CLEMENS VIII.

HIPPOLYTVS ALDOBRANDINVS, Florentinus,

Electus 30. Januarii M. D. XCII.

Protector noſter aſpice Deus.

I.

FVNDATA SVPRA FIRMAM PETRAM.

TYPUS eſt Eccleſiæ, quam ut ſponſam chariſſimam imponsè ſemper dilexit, ſtudioſéque fovir CLEMENS: ideoque ejus effigiem ſuæ conjunxir in numiſmatibus, ſimul arque Ponrifex fuit renunriarus.

II.

FORTITVDO MEA ET REFVGIVM MEVM.

SINGVLAREM denotat CLEMENTIS in Chriſtum fiduciam, ipſique regnum ſeu riaram refert ac ſubmirtir, à quo eam accepit; & à quo vires & fortirudinem in arduis exequendis, & adverſis tolerandis, experir & expectat.

III.

DOMINE IVBE ME VENIRE AD TE.

IN Pontificarus primo limine ad Chriſtum recurrit CLEMENS, ut greſſus ſuos firmet & dirigat, ac ſuper tumidos æquoris fluctus, hoc eſt per varia vitæ hujus pericula incolumem ſervet, & tandem ad ipſum der pervenire.

IV.

IN VERBO TVO.

INNUIT Pontifex ſe Eccleſiæ regimen ſuſcepiſſe, non de ſuis præſumens meritis, aur in ſuis viribus confidens, ſed in ſola Dei virture, & IN VERBO ejus, in quo qui ſperar, non confundetur.

V.

CONSECRATIO.

CUm ad templi S. Petri in Vaticano commodum & decorem ipſius pavimentum altiùs elevari, ut adæquaretur, curaſſet CLEMENS, altare ipſum Apoſtolorum, olim à Calixto II. conſecratum, etiam ſublimiùs extolli opus fuit, quod tamen integrum & immotum ob venerationem relinqui voluit, novo tamen & elegantiori ipſi ſuperaddito. Quod quidem altare 38. Cardinalibus aſtantibus ſolemni ritu conſecravit die 26. Julii 1594. & in eo ſtatim ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium Deo obtulit.

VI.

ET NON POENITEBIT EVM.

VIDETUR cuſus hîc nummus in memoriam celebris illius legationis, quam ad Pontificem obivit Dux Nivernenſis, ut abſolutionis ab hæreſi gratiam Henrico IV. Galliarum Regi ab eo impetraret. Ipſe autem Legatus in vultu Abrahæ hîc depingitur, panem & vinum, Religionis noſtræ primarii Sacramenti, quod præcipuè impugnant hæretici, materiam, Summo Pontifici, ſub habitu Melchiſedech, Regis nomine offerens, ut fidem ejus ſinceram erga Catholicæ Eccleſiæ dogmata, & imprimis Miſſæ Sacrificium teſtetur. Affirmatque quod amplius NON POENITEBIT EVM, ſicut quondam pœnituerat, cùm priùs Catholicam Religionem profeſſus, Margaretam Valeſiam duxit in uxorem, poſtea verò in priſtinos errores denuò relapſus fuerat.

VII.

HENRICVS IV. DEI GRATIA FRANCIÆ ET NAVARRÆ REX CHRISTIANISSIMVS.

HENRICI IV. Galliarum Regis effigies, cum CLEMENTIS Pontificis facie hoc in nummo cuſa, innuit ſinceram eorum reconciliationem; cùm Rex ab anathemate ſolutus, in Eccleſiam à Summo Pontifice admiſſus eſt die 17. Septembris 1595. Ritus autem quo id peractum eſt, ſic ab Oldoino Ciaconii Continuatore deſcribitur. „ Jacobus de Davi, Perroni Dominus, cum Arnoldo „ Oſſato, ambo erant Regis Procuratores, coram Pontifice & Cardinalibus ejuſ- „ dem Regis hæreſes erroreſque abjuravit, damnavit, deteſtatus eſt, Catholicæ „ fidei profeſſionem protulit, idemque in Gallia faciendum à Rege coram Apo- „ ſtolico Nuntio ſpopondit; omnia confirmavit Oſſatus, uterque tangens & oſcu- „ lans Evangelia, omnia Sacramento munivit. His actis Pontifex multa Regi in „ ſatisfactionem ſeu pœnitentiam præcepit, Procuratores aſſenſere, & Regem „ omnia effecturum ſunt polliciti. Cumque humi ante pedes Pontificis procubuiſ- „ ſent, CLEMENS HENRICUM ſolemni ritu ab omnibus majoris Excom- „ municationis, aliiſque cenſuris ac pœnis abſolvit in porticu Baſilicæ Vaticanæ „ Principis Apoſtolorum die Dominico 17. Septembris 1595. in gremium S. R. E. „ recepit, ſanctorumque Sacramentorum participationi reſtituit. Majori verò

Pœnitentiario

„ Pœnitentiario Julio Antonio Cardinali S. Severinæ mandavit, ut eoſdem Pero-
„ nium & Oſſatum in S. Petri Baſilicam juxta ritum S. R. E. introduceret.„

VIII.

RUTHENIS RECEPTIS.

EODEM anno 1595. Michaël Metropolita Kiovenſis & totius Ruſſiæ, & Epiſcopi ſeptem Ruthenorum, Græcum ritum ſectantes, concordiæ cum Latina Eccleſia, quæ ab Iſidoro Rutheno, & Beſſarione Nicæno Archiepiſcopis in Florentina Synodo conſtituta fuerat, cupidiſſimi, delegerunt ditexeruntque Antiſtites Oratores ad CLEMENTEM VIII. ut obedientiam ipſi præſtarent. Qui quidem menſe Novembri Romam venerunt, & ejuſdem menſis die 23. in Vaticana Conſtantini aula, Pontificis in throno ſedentis, & Cardinalium coronâ ſtipati, venerabundi & ſtrati publicè pedes oſculati ſunt, literaſque ei obtulerunt, quæ fuerunt prælectæ, petentes ut Græcos ritus ab Eccleſia Romana non improbatos ſervare liceret. Quamobrem Sacramentorum adminiſtrationem, ritus, cæremoniaſque Eccleſiæ Orientalis, eo modo quo tempore unionis uti conſueverant, integrè ſibi à CLEMENTE, etiam pro ſucceſſoribus confirmari & conſervari poſtularunt. Et ſubjecere: „ Quæ omnia petita à nobis ſi obtinuerimus, San-
„ ctitati veſtræ & omnibus ſucceſſoribus ſuis, nos & ſucceſſores noſtri dicto au-
„ dientes, ſubque regimine S. V. ſemper eſſe volumus. „ Silvius Antonianus Pontifici à Secretis, ipſius nomine hæc inter alia reſpondit: „ Paratus eſt S. D. N. pa-
„ terna benignitate vos, Metropolitam veſtrum, Coëpiſcopos, ac Nationem ve-
„ ſtram Ruthenam aperto charitatis ſinu ad communionem admittere, & obe-
„ dientiam veſtram unà cum his venerabilibus fratribus ſuis S. R. E. Cardinali-
„ bus recipere. „ Oratores ſinguli profeſſionem fidei ſcriptis exaratam, à ſe ſcriptam pronuntiarunt, atque iterum ad oſculum pedum Pontificis accurrerunt, in quorum memoriam hoc numiſma editum fuit anno ſequenti 1596.

IX.

TU SCIS DOMINE.

DELINEATUR hîc Chriſtus Petrum interrogans, ab eoque petens, *Petre amas me?* Cui ipſe, & cum eo CLEMENS Pontifex reſpondet, TU SCIS DOMINE *quia amo te.* Eſt ergo nummus iſte ſinceri Pontificis hujus erga Deum amoris certiſſimum ac publicum argumentum.

X.

VENI DILECTA MEA.

SUB hujus numiſmatis typo repræſentari dixerim Margaretam Auſtriacam Philippi III. Hiſpaniarum Regis ſponſam deſignatam, quam ſolemni pompâ Romæ excepit CLEMENS die 3. Novembris, quamque eidem Principi, abſenti licèt, in matrimonio mox conjunctam, coronâ donavit, ad quam eam invitans dicit illud Canticorum, VENI DILECTA MEA, *veni coronaberis.*

XI.

FERRARIA RECEPTA.

XXXVI.

FERRARIA RECVPERATA.

Cum Alphonſus Eſtenſis, Ferrariæ Dux, abſque liberis obiiſſet, Clemens urbem Ferrariam ad Eccleſiæ dominium pertinentem recuperaturus, exercitum jam paraverat, auxiliareſque copias Henrici IV. Galliarum Regis expectabat, cùm Cæſar Eſtenſis, hæres ab Alphonſo inſtitutus, & qui eo nomine urbem occuperaverat, eandem omnemque ditionem ultrò Pontifici reddidit. Qui quidem illuc profectus, urbem ſolemni pompâ ingreſſus eſt die 8. Maii 1598. Præceſſerat per totum itineris ſpatium ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ante Pontificem, ut antiqui moris erat, delatum. In xxxvi. nummo conſpicitur Cardinalis Aldobrandinus exercituum Pontificiorum Præfectus, qui urbem Ferrariam à Cæſare Eſtenſi, qui eam detinebat, recipit.

XII.

CHRISTIANÆ PAX REIPVBLICÆ.

Principum vultus quos hîc videmus appoſitos, ſunt proculdubio Henrici IV. Galliarum, & Philippi III. Hiſpaniarum Regum, qui in ſignum pacis, quam per Legatos apud Vervinum inierant anno 1598. jungunt dexteras, ex quibus frumenti ſpica oritur, qua Abundantiam ex pace naſci deſignatur. Miſerat autem Clemens Alexandrum Cardinalem Florentinum Legatum à latere in Galliam ad Henricum IV. ut eum ad hanc pacem ineundam hortaretur; quod opus perfectum conſummatumque priuſquam è Gallia diſcederet, cum ſingulari animi oblectatione vidit.

XIII.

REMIGRAVIT ERIDANVS.

Eridanvs, ſeu Padus, fluvius Italiæ Pedemontium, Sabaudiam, ac varias adjacentes abluens provincias, per ſeptem ora in mare Adriaticum influit. De duobus hiſce ultimis numiſmatibus hoc diſtichon aptè legitur ſcriptum in marmore ad mutos Arcis S. Angeli.

Eridani imperio Clemens, *& pace per Orbem*
Aurea reddiderat ſæcula Roma tibi.

XIV.

HINC PAX, HINC VICTORIA.

Triumphum denotat ſanctæ Crucis nummus iſte, in qua vicit leo de Tribu Juda Princeps pacis. A Cruce ergo victoria & pax manarunt, hæc per oleam, illa per palmam deſignata.

Digitized by Google

XV.

IVSTITIA ET CLEMENTIA COMPLEXÆ SVNT.

HÆ duæ virtutes ita inter ſe connexæ ſunt, ut à ſe invicem ſeparati minimè poſſint. Juſtitia enim abſque Clementia in crudelitatem vergit: Clementia autem abſque Juſtitia in animi ſegnitiem degenerat: ambæ autem in CLEMENTE maximè claruerunt.

XVI.

EXVRGAT DEVS ET DISSIPENTVR INIMICI EIVS.

CUM Ducatum Ferrariæ ad Eccleſiaſticum ſpectantem dominium invaſiſſet Cæſar Eſtenſis, urbemque Ferrariam occupaſſet, CLEMENS copias conſcripſit, eiſque Cardinalem Aldobrandinum præfecit, cui vexillum tradidit benedictum, ut bellum Ferrarienſibus inferret, urbemque obſidione cingeret, ac Sedis Apoſtolicæ ditioni reſtitueret. Quod fauſto ac felici ſucceſſu perfectum eſt, ut jam vidimus.

XVII.

MAGNVM GRATIÆ SACRAMENTVM. LATERANI.

SACELLUM ſanctiſſimi Sacramenti in Laterano, à Gregorio XIII. reſtauratum, CLEMENS elegantius reddidit, appoſitis quatuor ingentibus columnis æreis ſtriatis & inauratis, quæ Templo Salomonis inſerviſſe dicuntur. In ejus autem faſtigio hæc leguntur.

CLEMENS VIII. P. M. ANNO VII.

Et in pavimento.

CLEMENS VIII. ANNO IVBILEI M. D. C.

XVIII.

MAGNVM GRATIÆ SACRAMENTVM.

IN ejuſdem ſacelli ara Cœnam Dominicam ex argento, eximia arte, pretio duodecim millium aureorum, appoſuit ipſe Pontifex. Sacramentum autem altaris in hac tabella repræſentatum, MAGNVM GRATIÆ SACRAMENTVM hîc prædicatur, ſiquidem illud ipſum Euchariſtiæ nomen illi inditum, ſonat & exprimit.

XIX.

IVSTI INTRABVNT PER EAM.

ANNO 1599. (ut refert Ciaconius,) xiv. Kalendas Junii anno ſæculari 1600. adventante, CLEMENS inſignem Jubilei ſolemnitatem ſua religione & liberalitate reddidit inſigniorem. Literas autem miſit ad Reges & Principes, monens ut itinerum commodo & ſecuritati conſulerent.

XX.

IVBILEI INDICTIO M. DC.

XXI.

ABSOLVIT ANNO IVBILÆI M. DC.

XXII.

PORTAM SANCTAM APERVIT CLAVSITQVE ANNO IVBILEI M. DC.

XXV.

INTROITE IN EXVLTATIONE ANNO M. DC.

PERVIGILIO Dominicæ Circoncifionis CLEMENS Portam ſanctam aperuit; quod quidem in Vigilia Natalis Domini libenter feciſſet, ex more, ſi per chiragram licuiſſet. Jubilei autem tempore ſingulis diebus Dominicis quatuor Baſilicas inviſebat. Die verò octavâ Epiphaniæ 1601. Portam ſanctam clauſit, treſque quadratos lapides, in quibus hujuſmodi aurea argenteaque numiſmata incluſa erant, in ea collocavit.

XXIII.

LAVDATE NOMEN DOMINI.

NARRAT Ciaconius Florentinam ſancti Benedicti ſodalitatem Romam adveniſſe, ex centenario hominum numero compoſitam, peregrino habitu, præeunte Cruce, ad ſacras Jubilei opes promerendas, ut in hoc nummo depingitur.

XXIV.

EGO VOS REFICIAM.

REFERT quoque Ciaconius CLEMENTEM ejuſdem ſodalitatis viros in Baſilica Vaticana Angelorum pane refeciſſe, ac deinde in Gregoriano ambulacro communi paviſſe convivio, in quo ipſe menſæ interfuit.

XXVI.

REGNIS NATVS ET ORBI.

QUIS in puero, ſymbolisſque iſtis non agnoſcat Ludovicum Galliæ Delphinum, anno 1601. die 27. Septembris, REGNIS Navarræ & Franciæ, quorum ſceptrum geſtat, NATVM, imò totius ORBIS? è montibus prodeuntem vides; ex Alpibus ſcilicet, & Florentia per Mariam Mediceam Matrem: Gallus autem illi obvius coronam offert quam capite gerit.

XXVII.

VNVS DEVS, VNA FIDES.

TYPUS Fidei cum ſuis attributis hîc depingitur, Cruce ſcilicet & Calice, quibus myſterium Paſſionis Chriſti, & Sacramentum Euchariſtiæ, quæ ſunt præcipua fidei noſtræ fundamenta, exhibentur. VNA autem eſt FIDES, ſicut & ipſe DEVS VNVS eſt. *Qui enim peccat in uno, factus eſt omnium reus.*

XXVIII.

PAX ET SALVS A DOMINO.

NUMMUS hic refertur ad illam Pacem quam inter Regem Chriſtianiſſimum, & Ducem Sabaudiæ componere ſategit CLEMENS, cùm ob Marchionatum Salucii inter ſe diſſiderent. Unde ludit in verbis hoc lemma, cùm nomen SALVS pro Salucii Marchioniru uſurpat. Pax autem iſta conciliata fuit anno 1601. Figura verò ejus hîc appoſita ſcuta comburit, meritóque crucem geſtat, qua datur intelligere, eam ab Eccleſia manaſſe; agente enim Cardinale Aldobrandino Summi Pontificis Nepote, & ejus à latere Legato, fuit ſtabilita.

XXIX.

VELLINO EMISSO. ANNO M. DC.

AD hujus nummi notitiam hæc ſuggerit Ciaconius. „Canalis Curianus, quo „Aquæ Velinæ exundatio arcebatur, clauſus fere, CLEMENTIS authoritate „ expurgatus, amplificatuſque, CLEMENTINÆ nomine donatus fuit. Marchio„ nis Joannis Baptiſtæ Caſtelli de ſancto Euſtachio opera ad eam rem efficien„ dam eluxit.

XXX.

DA QVOD IVBES.

MANDARAT Chriſtus Petro, inſimulque cæteris ejus Vicariis Summis Pontificibus, ut ejus oves paſcerent. Hoc attendens CLEMENS, hujuſque mandati gravitatem expendens, vites ſuas tanto oneri ſentiebat impares; itaque ad Chriſtum, orationi ſedulò vacans, confugiebat, dicebatque cum Au-

guſtino, DA CHRISTE QVOD IVBES, ſcilicet ut ſibi commiſſas oves ritè poſſet paſcere.

XXXI.

SALVA NOS DOMINE.

ECCLESIA, Petri navis, procellis agitata, & à ventis, id eſt hæreſibus Calviniſtarum & Lutheranorum, quæ hoc tempore maximè vigebant, impetita & laceſſita, ad Chriſtum confugit, ut portæ inferi adverſus eam non prævaleant.

XXXII.

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS. CAPITOLIVM.

DE Capitolio à CLEMENTE reparato & ornato hæc habet Ciaconius: » In » Area Capitolina, ubi nuper nobile videmus excitatum ædificium, pri» mum lapidem benedixit & jecit, hac appoſitâ inſcriptione.

CLEMENS VIII. PRIMVM HVNC LAPIDEM
CVI RITE BENEDIXIT
IN FVNDAMENTO POSVIT,
IVSTITIÆ, VRBIS, PACIS TOTIVS ORBIS FVNDATOR.
ANNO SALVTIS M. DC. III.

XXXIII.

AB ORIGINE MVNDI.

NUMMUS iſte referri videtur ad Pontificis hujus ſigilla plumbea bullis appenſa, in quorum ambitu hæc verba Pſalmi 83. habentur: *Protector noſter aſpice Deus.* In hoc autem nummo, in quo Abel ſacrificans ab origine mundi depingitur, tacitè hæc verba Scripturæ ad præfati lemmatis reſponſum uſurpantur: *Reſpexit Deus ad Abel & ad munera ejus.* Et ſub nomine Abel CLEMENS Pontifex deſignatur.

XXXIV.

PORTV CENTVM-CELLARVM INSTAVRATO. ANNO M. DC. VI.

TOTIES jam de hoc Portu, quem etiam reparavit CLEMENS, ſuperiùs egimus, ut in eo diutius immorari valde ſupervacaneum videatur.

Digitized by Google

XXXV.

SEQVERE.

HANC vocem Chriſti ad Matthæum, SEQVERE ME, attendens Pontifex, ita eam in intimis animi penetralibus altè defixit, ut Chriſti, qui via, veritas, & vita eſt, veſtigia ſequi ſemper deinceps ſtatuerit & ſtuduerit.

XXVII.

DRACONVM CAPITA CONFREGISTI.


HÆRESIS ſcilicet Calvinianæ caput contudit, cum Henricum IV. Galliæ Regem ab ea abſolvit, eumque Eccleſiæ reſtituit, ac Regnum Galliæ ab hujus draconis veneno, quo omnino infici jure metuebat, liberavit.

XXXVIII.

ANNONA PVBLICA.

CLEMENS Pontifex Populo Romano annonæ penuriâ laboranti ſæpius ſuccurrit, & erga illum verè pium & Clementem ſe præſtitit, unde hoc gratitudinis monumentum ab eo meruit accipere.

Obiit 3. Martii 1605. anno ætatis 69. Pontificatus 14.



LEO



L E O XI.

ALEXANDER MEDICES,

Florentinus,

Electus I. Aprilis M. DC. V.

* * * * * * * * *

I.

DE FORTI DVLCEDO.

M. DC. V.

PONTIFEX omnium votis expetitus ac renuntiatus eſt LEO anno 1605. at ſtatim morte ſublatus, vix ea dignitate per menſem potiri licuit. Singularis ejus humanitas ac manſuetudo, cum innata magnanimitate, quæ genti Mediceæ competit, conjuncta, rectè per examen apum in ore leonis à Samſone inventum deſignatur.

II.

SIC FLORVI.

LEO creatus Pontifex, mox è vivis ereptus eſt, quòd per ſymbolum à ſe aſſumptum, cùm Cardinalis exiſteret prænuntiatum fuiſſe videtur, ſcilicet per faſciculum roſatum, cum hoc lemmate, SIC FLORVI. De roſa enim dicitur:

Vna dies aperit, conficit una dies.

Obiit 27. Aprilis 1605. anno ætatis 70. Pontificatus 1.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



PAULUS V.

CAMILLVS BVRGHESIVS,

Romanus,

Electus 16. Maii M. DC. V.

Satiabor cùm apparuerit gloria tua.

I.
VBI VVLT SPIRAT.

CUM in Conclavi de Cardinalibus Tuſco & Baronio ad Summum Pontificatum propoſitis aliquandiu fuiſſet diſceptatum, tandem voce unanimi, tanquam Spiritu ſancto afflati Patres omnes, BURGHESIUM Papam ſalutarunt die 16. Maii 1605. qui PAULI nomen aſſumpſit.

II.

DEI GENITRICI SEMPER VIRGINI.

III.

BEATISSIMÆ SEMPER VIRGINI SACELLVM A FVNDAMENTIS EREXIT.

IV.

COMPLEAT GLORIA MARIÆ DOMVM ISTAM.

HI tres nummi exponunt oculis Sacellum Burgheſianum, quod PAULUS V. pio erga B. Virginem Deiparam ductus affectu, à fundamentis extruxit, & magnificentiſſimè marmore & auro decoravit in Baſilica Liberiana S. Mariæ Majoris, ut ibi quàm decentiſſimè poſſet, ſacram B. Virginis effigiem à S. Luca quondam depictam, gemmis undique ornatam & ſplendentem reconderet. Ex iis autem numiſmatibus tertium primo loco reponendum erat, ſiquidem Sacellum ſolummodo inchoatum exhibet, quod anno 1612. perfectum eſt.

V.

CLAVDIT ET APERIT.

CLAVES B. Petri Pontifici PAULO V. traditas innuit, quibus cœlum aperiendi claudendive ipſi, tanquam ſummo Chriſti Vicario, & Petri ſucceſſori legitimo, poteſtas commiſſa eſt.

VI.

IN HONOREM PRINCIPIS APOSTOLORVM.

VII.

TEMPLVM DIVI PETRI IN VATICANO. ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBVNT.

HÆC duo numiſmata Templum Divi Petri toto orbe celeberrimum exhibent, declarantque hujus Pontificis munificentiâ ſingulari ac ſolerti cura fuiſſe abſolutum. Ait enim Victorellus: » Ipſe magno animo opus vaſtiſſimum » molitus, Baſilicæ corpus, à Sacello Gregoriano uſque ad extremam faciem, Cho» rum, Sacella, Porticum inferiorem & ſuperiorem benedicendis populis, tur» res campanarias à fundamentis ædificavit, porticu inferiore plaſtico opere item » inaurato, quod vitam, res geſtas Principum Apoſtolorum, admirandâ majeſtate » exprimeret infernè, ſanctiſſimorum Pontificum ſupernè, in faſtigio Baſilicæ

Digitized by Google

» impoſitis Chriſti Servatoris & Apoſtolorum coloſſæis ſtatuis, ampliſſimum ac » magnificentiſſimum Templum abſolvit. » Hæc autem in eo legitur inſcriptio in hujus Pontificis memoriam.

PAVLO V. PONTIFICI MAXIMO
VATICANVM TEMPLVM
A IVLIO II. INCHOATVM,
ET VSQVE AD GREGORII ET CLEMENTIS SACELLA
ASSIDVO CENTVM ANNORVM OPIFICIO
PERDVCTVM
TANTÆ MOLIS ACCESSIONE,
VNIVERSVM CONSTANTIANÆ BASILICÆ AMBITVM
CONFECIT.

VIII.

ET CONGV AGNOSCIT PASTOREM.

CUM regnum Conganum in Africa, Rexque ejuſdem, fidei Catholicæ dogmaribus fuiſſet imbutus, ac ſalutaribus aquis luſtratus; ipſe Legatum ad Summum Pontificem PAULUM V. Romam miſit, ut ejus nomine obedientiam obſequiumque ſuum ipſi devoveret, ſicut hîc videre eſt. At cùm itineris labore ac longitudine fatigatus fractuſque paulò pôſt occubuiſſet, ſolemni pompâ apud S. Mariam Majorem corpus ejus terræ mandari curavit Pontifex.

IX.

ET TV FRANCISCA VOCABERIS.

CUM Summum Pontificatum adeptus fuiſſet PAULUS V. merita B. FRANCISCÆ viduæ recolens; in gratiam quoque familiæ ſuæ Burgheſianæ, à quâ pia hæc fœmina ortum duxerat, eam ſolemni pompâ in Sanctorum numerum retulit anno 1608.

X.

PVBLICÆ COMMODITATI RESTITVIT.

CUM aquæ penuriâ tota Tranſtyberina regio laboraret, opus molis immenſæ PAULUS aggreſſus eſt, COMMODITATI PVBLICÆ copiam aquæ incredibilem ex agro Braccianenſi ad Janiculum uſque perducens, & ad tres Leoninæ urbis fontes à ſe extructos; quorum alter in Platea apud S. Petrum, alter ad D. Jacobi Aream, tertius prope S. Angeli Pontem fuit. Eandem etiam aquam è Janiculi canali plumbeo per Sixti Pontem tranſmiſſam, citeriori intulit urbi. Hæc autem inſcriptio in via Braccianenſi ad eoſdem aquæductus appoſita fuit.

FORMIS AQVÆ ALSIETINÆ
OLIM AB AVGVSTO CÆSARE EXTRVCTIS,
MOX COLLAPSIS,
AB ADRIANO PONTIFICE MOX INSTAVRATIS,
IISDEM RVRSVS VETVSTATE DIRVTIS,
OPERE SVBTERRANEO ET ARCVATO RESTITVTIS,
AQVAM EX AGRO BRACCIANENSI
DITIONIS VRSINORVM,
SALVBRIORIBVS FONTIBVS DERIVATAM,
FLEXVOSO CVRSV XXXV. MILLIARIVM
IN VRBEM PERDVXIT
ANNO SALVTIS M. DC. XI.

XI.

SECVRITAS POPVLI.
FERRARIA.

Cum urbem Ferrariam Eccleſiaſticæ ditioni ac patrimonio S. Sedis reſtituiſſet adjunxiſſetque Clemens VIII. Arcem in ea ad ſecuritatem publicam jam inchoatam, munitiſſimis propugnaculis, aggeribus, & foſſis undique cinctam, conſtrui curavit Paulus V. in cujus rei memoriam hæc ipſius ſepulchro fuere inſculpta.

FERRARIAM VRBEM
DITIONIS ECCLESIASTICÆ NOBILE PROPVGNACVLVM,
EXTRVCTA VALIDISSIMA ARCE,
MVNIVIT.

XII.

INTER SANCTOS REFERT
CARDINALEM BORROMÆVM.

XIII.

DEI ÆDIFICATIO EST.
S. CAROLVS.

Non ſolùm in Sanctorum album retulit BEATVM CAROLVM BORROMÆVM CARDINALEM, miraculis conſpicuum, ut in horum numiſmatum altero depingitur, ſed & ipſi ſacram ædem in via quæ vulgò Curſus dicitur, conſtrui curavit, ut in altero etiam exhibetur.

XIV.

XIV. XV.

PALATII VATICANI PORTA RESTITVTA.

CUM ex ædificatione Templi S. Petri Palatii Vaticani porticus & atrium fuiſſet deformatum & everſum, in meliorem formam PAULUS illud reparari curavit, ut appoſita inſcriptio teſtatur his verbis:

PAVLVS V.
PALATII ANTERIOREM PORTAM HORARIAM,
TVRRES PRIMÆ CVSTODIÆ,
STATIONEM, ET ARMAMENTARIVM,
QVOD NOVÆ BASILICÆ ÆDIFICATIONE DIRVTA ERANT,
EXTRVXIT ANNO SALVTIS M. DC. VIII.
PONTIF. III.

XVI.

FVNDA NOS IN PACE.

XVII.

PRO TVI NOMINIS GLORIA.

QUÆ ſint hæ columnæ ex ipſis appoſitâ epigraphe accipe.

PAVLVS V. PONTIFEX MAXIMVS
COLVMNAM VETERIS MAGNIFICENTIÆ MONVMENTVM,
INFORMI SITV OBDVCTAM, NEGLECTAMQVE,
EX IMMANIBVS TEMPLI RVINIS
QVOD VESPASIANVS AVG. EXACTO DE IVDÆIS TRIVMPHO,
ET REIPVBLICÆ STATV CONFIRMATO,
PACI DICAVERAT,
IN HANC SPLENDIDISSIMAM SEDEM
AD BASILICÆ LIBERIANÆ DECOREM AVGENDVM,
SVO IVSSV EXPORTATAM,
ET PRISTINO NITORI RESTITVTAM,
BEATISSIMÆ VIRGINI,
EX CVIVS VISCERIBVS PRINCEPS VERÆ PACIS GENITVS EST,
DONVM DEDIT;
ÆNEAMQVE EIVS STATVAM FASTIGIO IMPOSVIT
ANNO DOMINI M. DC. XIV. PONTIFICATVS IX.

Eſt autem hæc columna marmorea, ſtriata, operis Corinthii, ingentis magnitudinis, in Platea ante porticum S. Mariæ Majoris erecta, de qua hi verſus habentur, in ejuſque inſculpta leguntur ſtylobata.

IMPVRA FALSI TEMPLA QVONDAM NVMINIS
IVBENTE. MOESTA SVSTINEBAM, CÆSARE.
NVNC LÆTA VERI PRÆFERENS MATREM DEI,
TE PAVLE, NVLLIS OBTICEBO SÆCVLIS.

XVIII.

PORTV BVRGHESIO A FVNDAMENTIS EXTRVCTO. COLONIA IVLIA FANESTRIS.

FANUM Fortunæ, vulgò *Fano*, urbs eſt maritima Umbriæ & Epiſcopalis in Ducatu Urbinate ſita, licèt ditionis Eccleſiaſticæ, inter Piſaurum & Senogalliam, ubi PAULUS V. portum navibus recipiendis commodiſſimum extrui curavit anno 1614. Dicitur autem COLONIA IVLIA FANESTRIS illa civitas, quòd Julius Cæſar in ea coloniam Romanam inſtitueret, ubi templum olim Fortunæ famoſiſſimum extabat.

XIX.

SS. AGNETIS ET EMERENTIANÆ OSSA HONORIFICATA.

AD hujus nummi expoſitionem ſufficiet quod ſcripſit Victorellus his verbis. « PAULUS SS. Virginibus & Martyribus AGNETI ET EMERENTIANÆ « Aram ex pretioſiſſimis lapidibus in earum templo extra urbem erexit, earum- « que ſacra pignora in arca argentea pretii quinque millium aureorum recondi- « dit, & arcam ſub ara collocavit anno 1615. »

XX.

PONTIFICVM COMMODITATI.

« GRAVE agri Vaticani cœlum Pontifices ut vitarent in æſtate, anguſtiores « in Quirinali ædes ædificarant. Harum incommodo obviam ut iret PAULUS, « ingentem ædium molem veteri huic Palatio adjunxit, in quibus & publicis « functionibus exercendis ſpatium eſſet, & Sacellum privatis ædibus opportu- « num. » Hæc Victorellus agens de ædificiis in hoc numiſmate expreſſis.

XXI.

SACRA PETRI CONFESSIO EXORNATA.

« IN medio novæ S. Petri Baſilicæ ſacram Confeſſionem in qua beatorum Apo- « ſtolorum cineres requieſcunt, aperuit, columellis auro textili, pretioſoque « lapide fores circumdedit; gradus marmoreos, quibus ad intima deſcendere- « tur collocavit: parietes hinc inde ſtemmatibus, & aliis ornamentis, & vario- « rum colorum lapidibus incruſtavit: pavimentum ejuſdem mirando opere teſſe- « lato ſtravit: oſtium intermedium ænea crate inaurata inter aliquot elegantes « columnas concluſit. Statuas eorumdem Apoſtolorum ex metallo deauratas in « loculamentis exterioribus repoſuit, ac tale opus perfecit: » ut his verbis deſcri- « bit & aſſerit Victorellus, « quod qui oculis non conſpexerit, vix mente poſſit « concipere. »

Digitized by Google

XXII.
SACELLUM IN PALATIO QUIRINALI.
ANNO M. DC. XIX.


PORTA quæ hîc depingitur, aditum præbet ad elegantiſſimum illud Sacellum quod in Quirinali Palatio extruxit PAULUS V. de quo hæc ſcribit Victorellus: « Partem maximam quæ Orientem reſpicit, PAULUS à fundamentis « extruxit, in qua regia aula, ampliſſimumque Sacellum continetur cum ſacro « Veſtiario ad Sacelli cancellos, quibus Cardinalium Sacerdotumque conſeſſus à « reliquo ſpatio dirimitur. »

XXIII.
CEPERANI PONS SUPER LIRIM RESTITUS.

PONTEM reparari curavit ad publicum commodum in villa CEPERANO ſuper fluvium Lirim, vulgò *Garigliano* dictum, qui inſulas Iſolam & Iſolettam cingit, & Latium à Samnio & Campania ſeparat. Non longè à civitate Antina oritur, urbem Soram alluit, ac demum in mare Tyrrenum, haud procul à Caëta præceps ruit.

Obiit 28. Januarii 1621. anno ætatis 69. Pontificatus 16.





GREGORIUS XV.

ALEXANDER LVDOVISIVS,

Bononienſis,

Electus 9. Februarii M. DC. XXI.

* * * * * * * *

I.

CAVSA NOSTRÆ LÆTITIÆ.

HUNC nummum cuſum arbitror cùm GREGORIUS victoriam à Maximiliano Bavariæ Duce in Rheni Palatinum Lutheranoſque apud Germaniam anno 1623. reportatam, imparibus licèt viribus, fauſto validoque beatæ Virginis tribuens auxilio, vexilla ſibi Romam à victore miſſa, eidem Dei Genitrici obtulit, ut refert Victorellus his verbis : » Signa multa capta, multa Romam » miſſa, & GREGORIO QVINTO DECIMO LÆTANTE, » Deoque ac Virgini Mariæ gratias agente, inſigni ſupplicatione & populi confluentis frequentiâ ad ædem quam S. Mariæ de Victoria appellant, delata ſunt.

II.

ASSAGIVM GENERALE.

1622.

VULGARE eſt hoc numiſma, quod toties repeti ſolet, quoties nova cuditur moneta. ASSAGIVM enim deducitur ab aſſe, quod latè ſumptum omne monetæ genus ſignificat.

III.

QVINQVE BEATIS COELESTES HONORES DECERNIT.

1622.

DIE 12. Martii 1622. agente præſertim Hiſpaniarum Rege, in Sanctorum numerum retulit BEATOS IGNATIUM DE LOYOLA, FRANCISCUM XAVERIUM, PHILIPPUM NERIUM, ISIDORUM, ET TERESIAM pompâ non vulgari, ac populorum incredibili concurſu. In quorum apotheoſis monumentum hic nummus editus eſt.

IV.

PACIS ET RELIGIONIS AMOR.

HARUM virtutum amor in eo maximè eluxit, cùm Vallis-Telinæ exortas compreſſit diſcordias populares, quæ jamjam Reges ipſos Galliæ & Hiſpaniæ utrinque ad ſuas trahebant partes, bellique cruentiſſimi timorem incutiebant, ni GREGORII Pontificis prudens ſuccurriſſet induſtria, ſuaſiſſetque & Ludovico XIII. in hæreticos perduelles ac rebelles Galliæ arma vertere: & Philippo Regi Catholico contra Batavos in Belgio bellum renovare; quod uterque præſtitit. Verùm ut ait Victorellus: „Cùm adhuc animi recurrerent ad hujus controverſiæ definitionem in ſuum ipſe patrocinium, conſpirantibus in hanc unam „conditionem partibus, eam regionem interim accepit, dum tempus validiora „afferret remedia. Quare magnis ſumptibus PRO PACE ET RELIGIONE haud „gravatè factis, F. Ludoviſio Tiani Duce illuc immiſſo cum egregia militum manu occupavit arces illas, firmavitque præſidiis, ac præſenti tunc quidem malo opportunè conſuluit.

Obiit 8. Iulii 1623. anno ætatis 70. Pontificatus 3.


VRBANVS·VIII·PONT·MAX·A·IIII
I
FACIT·MIRABILIA·MAGNA·SOLVS
II
PAX·IN·VIRTVTE·TVA·
1624
III
SVOS PACEM
MDCXXV
IV
RESERAVIT·ET·CLAVSIT
ANN IVB
MDCXXV
V
ORA·PRO·ME·BEATA·MARTINA
VI
TRANQVILLITAS·REDVX
VII
ROMA
VIII
S·PETRI·BASILICA·CONSECRATA
IX
S·PETRI·BASILICA·CONSECRATA
ROMA
X
XI
XII
ROMA
XIII
MDC XXXIII
RO M
XIV
ELISABETH·REGINA·LVSITANIAE
XV
XVI
ORNATO·SS·PETRI·ET·PAVLI·SEPVLCRO
XVII
XVIII
V· C·
F·E·

Y:j.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

URBANUS VIII.

MAPHÆVS BARBERINVS,

Florentinus,

Electus 6. Auguſti M. DC. XXIII.

In Domino ſperans non infirmabor.

I.

FACIT MIRABILIA MAGNA SOLVS.

HOc primum numiſma URBANI VIII. ejus electionem connotat, quæ facta eſt die Dominica 6. Auguſti, Chriſti Transfigurationis feſto ſacra, unanimi fetè Patrum conſenſu, ac ingenti populi lætitiâ. Ipſe verò hoc munus, quod nullomodo ambierat, Chriſto authori refert, QVI FACIT MIRABILIA MAGNA SOLVS.

II.

PAX IN VIRTVTE TVA.

PAx eſt quam Galliæ inter & Hiſpaniæ Reges, Ducis Mantuani causâ inter ſe diſſidentes, compoſuit URBANUS, cum Cardinalem Franciſcum Barberinum Nepotem Legatum Apoſtolicum miſit in Galliam, ut hoſtilia arma jam in Liguriæ & Inſubriæ finibus ad cædem parata ſiſteret, motuſque bellicos compeſceret: Quod feliciter ceſſit pro votis, ut ipſe, teſte Victotello narravit Patribus in Conſiſtorio his verbis: » Quod noſtris erat in votis, ex unanimi Regum » voluntate PAX eſt firmata. Omnem movimus lapidem, ne quid detrimenti Re- » ligio Catholica pateretur. Teſtes ſunt ipſi Reges, & ipſe novit Deus, cujus ho- » norem & gloriam præ oculis ſemper habuimus. «

III.

POSVIT FINES SVOS PACEM.

IV.

RESERAVIT ET CLAVSIT.

VII.

HOMINIBVS BONÆ VOLVNTATIS.

PORTA ſancta his in nummis expreſſa conſpicitur, quæ anno 1625. ab URBANO VIII. incredibili omnium nationum, & præſertim Sigiſmundi Regis Poloniæ filii, concurſu, ſolemni, ut decet, pompa aperta eſt. Vidi ego alterum nummum ejuſdem quidem typi ac ſeptimus iſte, varii tamen lemmatis: legebatur enim in ambitu C. ET CAP. S. MARIÆ. id eſt Cardinalis & Capitulum S. Mariæ.

V.

ORA PRO ME BEATA MARTINA.

SANCTÆ MARTINÆ Virginis & Martyris corpus URBANO VIII. ſedente, in pervetuſta Eccleſia, ad Mamertinum carcerem cum ſanctorum Martyrum Concordii, Epiphanii & Sociorum reliquiis repertum, eodem loco in meliorem formam redacto, atque decentiùs ornatò, magno populi concurſu, ac totius urbis lætitiâ ſolemni ritu repoſitum eſt.

VI.

TRANQVILLITAS REDVX.

VIDETVR cuſus hic nummus ob pacem inter Regem Galliæ, & Ducem Sabaudiæ ſancitam & ſtabilitam URBANI Pontificis operâ, quæ Italiæ, bellorum motibus turbatæ, optatam attulit TRANQVILLITATEM. Hæc de ea ſcribit Victorellus: » Magni belli procellam in Monteferrato vidit Italia, pacis & » communis boni deſiderium incredibile tenuit Pontificem. »

VIII. IX.

S. PETRI BASILICA CONSECRATA.

DUPLEX hîc nummus vulgatus eſt in memoriam conſecrationis Baſilicæ S. Petri in Vaticano. Cùm ſtupenda hujus Templi moles abſoluta ac ornata fuiſſet, tandem die 18. Novembris anni 1626. ab URBANO VIII. eſt inaugurata, in cujus conſecrationis monumentum hæc in ea leguntur.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
VATICANAM BASILICAM, A CONSTANTINO MAGNO EXTRVCTAM,
A B. SYLVESTRO DEDICATAM,
IN AMPLISSIMI TEMPLI FORMAM
RELIGIOSA MVLTORVM PONTIFICVM MAGNIFICENTIA REDACTAM,
SOLEMNI RITV CONSECRAT.

X. XXXV.

TE MANE, TE VESPERE.

ROMÆ.

HUJUS Pontificis coronationis ſolemnitas peracta eſt die 29. Septembris Divo Michaëli ſacrâ, quem ideo tiaram novo Pontifici è cœlo afferentem effinxerunt. Dilata autem fuerat uſque in hanc diem, ob morbum in quem ſtatim ab electione inciderat: & ideo, ut ait Victorellus, »S. Michaëlem primum » inter Seraphinos locum obtinentem, cœleſtium legionum ducem, Catholicæ » Chriſti Eccleſiæ & Pontificis Maximi cuſtodem, præcipuâ veneratione coluit, » colitque: unde illius imaginem, muſivo opere, in Principis Apoſtolorum Ba- » ſilica apud aram S. Petronillæ, artificis manu perfecit, ſe ante illum genibus in- » nixum, coloribuſque his verbis adjectis expreſſit. TE MANE, TE VESPERE.» Quibus innuit ſe velle eum, & mane & veſpere, ut fideliſſimum Patronum ac Tutelarem colere, ac precibus venerari.

XI.

ECCLESIÆ B. VIRGINIS CONCEPTÆ IACTO PRIMO LAPIDE.

AD inſtantiam Caroli Niverni & Mantuæ Ducis, Ordinem Equitum Conceptionis B. Mariæ inſtituit ſub Regula S. Franciſci, & SS. Michaëlis & Baſilii patrocinio. Eccleſiam etiam ſub eodem titulo ad preces fratris ſui Cardinalis à S. Onuphrio extrui curavit, in gratiam Capucinorum, quorum Regulam ante Cardinalatum profeſſus fuerat. Primum autem hujus templi lapidem jecit die 4. Octobris Divo Franciſco ſacrâ, in quotum memoriam hic nummus editus eſt. Legitur autem hæc epigraphe in fornice interiori portæ templi:

FR. ANT. BARBERINVS
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS S. ONVPHRII
VRBANI VIII. GERMANVS FRATER,
TEMPLVM IMMACVLATÆ VIRGINIS
A FVNDAMENTO EREXIT,
RELIGIOSI IN DEIPARAM OBSEQVII,
BENEFICÆ IN SVVM ORDINEM CHARITATIS
MONVMENTVM
ANNO SALVTIS M. DC. XXVIII.
CAPVCINI FRATRES GRATI ANIMI ERGO POSVERE.

Digitized by Google

XII.

BEATO ANDREA INTER SANCTOS RELATO.

ANNO 1629. BEATO ANDREÆ CORSINO Florentino, Ordinis Carmelitarum, Feſulano Epiſcopo, ſacros cœleſtium Civium honores, ſolemni ritu, menſe Aprili detulit; ædemque ſacram ſub ejus invocatione inauguravit.

XIII.

INSTRVCTA, MVNITA, PERFECTA.

ADRIANI molem, nunc Caſtrum S. Angeli, novis munitionibus additis ac propugnaculis reddidit firmiorem. Hæcque in eo legitur epigraphe.

URBANVS VIII. PONT. MAX.
PROPVGNACVLVM, DVO HÆC INTERCLVDENS
SVB PONTIS FORNICE SPATIA
INVTILITER ANTIQVITVS FABRICATVM,
SOLO ÆQVAVIT,
FLVMINIS LAPSV HÆC EX PARTE RESERATO,
QVOD MVNITAM MAGIS ARCEM EFFICIT,
ET EXVNDATIONES INGRVENTES COHIBET.
NE POSTERI
PROVENIENTIS HINC VTILITATIS IGNARI,
SECVS QVOD MOLIANTVR,
HOC VOLVIT EXTARE DOCVMENTVM
ANNO M. DC. XXVIII.

XIV.

ELIZABET REGINA LVSITANIÆ A DEO SANCTIFICATA.

HONORES ſacros SANCTÆ ELISABET REGINÆ LVSITANIÆ decernendos ſtatuerat Leo X. qui ejus feſtum indixerat celebrandum, ſed in Conimbrienſi tantùm Diœceſi: at inſecuti Pontifices colendam conceſſerant toti Luſitaniæ; ac tandem, ne quid ejus venerationi deeſſet, URBANUS VIII. eam Sanctorum faſtis aſcripſit anno M. DC. XXV. Hic nummus ovalis figuræ exiguus eſt, ac toſatiis appendendus. Caput tamen URBANI in antica parte exhibet.

XV.

NVNC RE PERFECTO.

PORTUM Centum-Cellarum, vulgò *Civita Vecchia*, de quo plura ſuperiùs, à prædeceſſoribus Pontificibus inchoatum, ac munitionibus inſtructum tandem abſolvit: In cujus rei monumentum nummus hic editus eſt.

XVI.
ORNATO SS. PETRI ET PAVLI SEPVLCHRO.

BEATORUM Apoſtolorum ſacram Confeſſionem ſeu tumulum nobiliſſimo Mauſolæo ex ære fuſo, ac deauraro, eleganti Equitis Bernini operâ, quatuor ingentibus columnis ſuffulro decoravit, Aramque maximam ſub eo conſtituit; hujus autem delineatio hîc ſubjicitur.

XVII.
MATER MISERICORDIÆ SAVONA.

HÆc eſt icon B. Mariæ nuper prope Savonam, ex ipſius Deiparæ, agricolæ cuidam ſeſe exhibenris contuendam, mandato, ad ipſius cultum erecta, quæ modò à populis undequaque advenienribus, & ejus miraculorum vittutem & gratiam accipientibus, viſitur ac colitur. Unde Rex Chtiſtianiſſimus elegantem ejuſdem effigiem in altari marmore pretioſiſſimo nitenti, in æde ſacra Patrum Auguſtinenſium Diſcalcearorum hîc Pariſiis paucis abhinc annis erexit. Cùm nummus iſte etiam ovalis ac minutiſſimus, faciem URBANI exhibeat, ideo in ſuorum numiſmatum ſerie non omittendum cenſuimus.

XVIII.
MONASTERIVM INCARNATIONIS IESV CHRISTI.
V. C. F. E.

MONUMENTUM eſt Monaſterii Incarnationis URBANI Pontificis curâ ac munificentiâ conſtructi. Characteres autem V. C. F. E. in corde deſcripti, ſignificant hæc verba ſacra, VERBVM CARO FACTVM EST, quæ Chriſti Incarnationem deſignant.

XVIII. 2.
AVCTA AD METAVRVM DITIONE.
ROMÆ.

URBANI ſolertiâ & induſtriâ Eccleſiaſtici fines patrimonii protenſi ſunt ad METAVRVM fluvium, vulgò *Metro*, qui Umbriam olim, nunc Urbini Ducatum alluit. Hæc autem leguntur in Elogio ipſi apud Aræ cœli Eccleſiam dicaro. « Quod dominatum Eccleſiæ peropporruna ditionis acceſſione amplificavir. « Puella autem illa typum refert urbis Urbaniæ, quæ Eccleſiam ipſius Carhedralem manu geſtat, quam URBANUS condiderat, ac Epiſcopatu donavetat. Nam ex Caſtro Duranti (ſic à Guillelmo Duranri, Epiſcopo Mimatenſi, nuncuparum) & vado S. Angeli, quod olim Tiphernas dicebatur, unicum conſtituit Epiſco-

patum URBANENSEM; Eccleſiamque Abbatialem S. Chriſtophori Ordinis Benedictini, in Cathedralem erexit, ut in ejuſdem urbis palatio ſcriptum legitur his verbis:

VRBANO VIII. PONTIFICI MAX.
QVOD POST AVCTAM AD METAVRVM
ECCLESIÆ DITIONEM,
METAVRIENSE DVRANTIS CASTRVM
CIVITATIS IVRE DONAVERIT,
LOCVMQVE OB COELI SALVBRITATEM,
VRBINANTIVM DVCVM SEDEM,
ADDITO EPISCOPO,
SALVBRIORVM ANIMIS PROCVRAVERIT,
AC DIOECESIS FINES EXTENDERIT
VRBANIENSES,
VT QVOTIES NOMINENTVR,
TOTIES ACCEPTI BENEFICII ADMONEANTVR,
CONDITORI SVO POSVERVNT.

XIX.

ÆDES S. BIBIANÆ RESTITVTA ET ORNATA.

ÆDEM ſacram S. BIBIANÆ & ſociarum collabentem reſtituit & ornavit. Hanc Olympina matrona ſanctiſſima in honorem ſanctarum Bibianæ, Olympiæ & Dafroſæ primùm excitaverat; eandem Simplicius Papa reſtauraverat; Honorius III. anno 1224. conſecrarat. Hancque demum URBANUS VIII. in elegantiorem formam reſtituit, ac earumdem Beatarum corpora ex Liberiana Baſilica in quam fuerant invecta, ſolemni pompâ in propria repoſuit Eccleſia, ut ex hac conſtat epigraphe.

VRBANVS VIII. PONT. OPT. MAX.
CORPORA SS. BIBIANÆ, DEMETRIÆ ET DAFROSÆ;
IN HAC OLYMPIANA BASILICA TRANSVECTA,
INDEQVE PRISTINAM AD SEDEM RELATA,
LABRO ONYCHINO, ÆNEISQVE LOCVLIS INCLVSA,
PIETATI VRBIS EXPOSVIT
ANNO M. DC. XXVI. PONT. IIII.
III. IDVS NOVEMBRIS.

XX.

SECVRITAS PVBLICA.

IN agro Bononienſi Arcem munitiſſimam, quæ ex ſuo nomine URBANA dicta eſt, ad Pontificiam ditionem tuendam condidit, ut ex hac inſcriptione inibi appoſita innoteſcit.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
ARCEM HANC DE SVO NOMINE
VRBANAM NVNCVPATAM,
VALIDISSIMIS PROPVGNACVLIS,
GEMINOQVE VALLO, GEMINAQVE FOSSA,
IVGIS AQVÆ FLVXV REFERTA
CIRCVMDATAM,
VT SOLI PATENTIS
IN DITIONEM ECCLESIASTICAM ADITVS
HOSTICIS ARMIS INTERCLVDERETVR,
PVBLICÆ SECVRITATI CONSVLTVS,
A FVNDAMENTIS EXCITATAM ABSOLVIT,
ET VSVI MILITARI
REBVS OPPORTVNIS INSTRVXIT ET MVNIVIT.

Pontifex ille qui in nubibus apparet, ſanctus eſt Petronius, civitatis Bononienſis Patronus, qui eandem urbem manu geſtat.

XXI.

ÆDE EXORNATA, FACIE RESTITVTA. M. DC. XXXVI.

EXTABAT Romæ à priſcis temporibus templum S. Anaſtaſiæ Virgini dicatum, à ſancto Damaſo Papa olim constructum, Hilari ac Leonis III. Summorum Pontificum beneficiis auctum, quod vetuſtate deformatum URBANUS VIII. reſtauravit, ut appoſita in eo epigraphe exponit his verbis.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
S. ANASTASIÆ TEMPLVM
A SVMMIS PONTIFICIBVS SS. DAMASO, HILARO, ET LEONE III.
RELIGIOSE ORNATVM,
MELIOREM IN FORMAM RESTITVIT.
COLLAPSAM FRONTEM A FVNDAMENTIS EXTRVXIT,
DVAS TVRRES AD NOLARVM VSVM EREXIT,
INTERIORA ORNAMENTA ADIVNXIT
ANNO DOMINI M. DC. XXXVI.
PONT. XIV.

XXII.

ORNATO CONSTANTINI LAVACRO ET INSTAVRATO.

SERVATUR Romæ à multis ſæculis apud Eccleſiam Lateranenſem inſigne illud Baptiſterium Conſtantinianum dictum, ſive quòd Conſtantinus, ut Euſebio placet, undis ſalutaribus in eo fuerit ablutus; ſive quòd illud ipſum ad Lateranenſem Baſilicam regiâ prorſus magnificentiâ conſtruxerit. Nam fons ſeu labrum ex porphyretico lapide cavatum erat, argento puriſſimo inſtructum, trium

millium & octo librarum pondo. In hujus medio aſſurgebat columna porphyretica, cui impoſita erat lampas aurea librarum 50. in qua balſamum jugiter ardebat. In ſummo autem fontis labro agnus aureus librarum 30. aquam fundebat. Stabat verò ad illius dextram argentea Salvatoris imago quinque pedum altitudinis, ponderis librarum 110. Ad ſiniſtram autem ſtatua pariter argentea ſancti Joannis, ejuſdem ferè molis. Septem quoque cervi argentei ſinguli librarum 80. eleganti quaſi coronâ fontem cingebant. Sixtus III. Pont. Max. hoc lavacrum octo columnis porphyreticis circumdedit: Adrianus IV. illud ipſum vetuſtate fatiſcens reparaſſe traditur, ac priſtino decori reſtituiſſe. Demum hoc præſtitit URBANUS VIII. cùm illud auro picturiſque exornavit, ſolumque verſicolore ſtravit marmore.

XXIII.

DENVO EXÆDIFICATA.

TEMPLUM S. Caii Pontificis vetuſtate dirutum reſtaurari etiam curavit, ut ex hac inſcriptione appoſita innoteſcit:

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
DOMVM IN VRBE S. CAII PAPÆ ET MARTYRIS
IN ECCLESIAM OLIM CONSECRATAM,
AC IN TITVLVM ERECTAM,
SACRAQVE STATIONE CELEBREM,
VETVSTATE COLLAPSAM,
A FVNDAMENTIS EXCITAVIT,
ILLATIS EIVSDEM S. CAII RELIQVIIS,
ANNO M. DC. XXXI.
PONT. IX.

XXIV.

PACIS INCOLVMITATI.

XXV.

SVBVRBANO RECESSV CONSTRVCTO.

ARCEM Caſtri-Gandulphi, ſitu gratiſſimo, aëreque ſaluberrimo gaudentem, ædificiis non modò ampliavit ac ornavit, ſed & hortis amœniſſimis inſtruxit, ut Pontificum incolumitati, ſeceſſui, ac relaxationi poſſent inſervire, quod in appoſita legitur epigraphe:

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
SEMITIS COMPLANATIS,
CÆTERISQVE AD VSVM VILLÆ COMPARATIS
SVBVRBANAS ÆDES
COMMODITATI PONTIFICVM EXTRVXIT
M. DC. XXIX. PONT. VII.

XXVI.

MVNIFICENTIA ANTONII BARBERINI &c.

CONNOTAT hujus nummi epigraphe ſolemnem illam feſtivitatem, quam Societatis Jeſu Patres, ex Cardinalis Antonii Barberini munificentia, Romæ egerunt, ut primum ſuæ Societatis ſæculum recolerent, ac centeſimum ab ejus exordio annum redderent illuſtriorem. Diem enim venientem primam nuntiavere tubæ, & faces illuſtravere. Communi lætitiæ addidit ſplendorem ſuprema Majeſtas Pontificis URBANI, & Purpuratorum cœtus. Famam verò perennemque memoriam cuſi auro, argento & ære nummi, ac cætera quæ retulit Jacobus Damianus in Synopſi primi ſuæ Societatis ſæculi.

XXVII.

ASSAGIVM GENERALE.

DE hoc nummo ſuperiùs egimus, qui quidem ita vulgaris eſt, ut in ipſo diutius immorari ſit ſuperfluum.

XXVIII. XXIX.

VRBANO VIII. PONT. MAX. SEDENTE. MONS PIETATIS DE VRBE FVNDATVS. ANNO M. DC. XXXIX.

AD egentium & ære alieno oppreſſorum commodum & levamen, Montem Pietatis in urbe fundavit, ubi ſcilicet pecunias abſque ullo fœnore uſque ad centum librarum ſummam mutuò accipiunt, modò infra anni terminum ſortem hanc præcipuam perſolvant, ac pignora credita repoſcant.

XXX.

AD ÆDIVM PONTIFICVM SECVRITATEM.

QUIRINALI Palatio, vulgò *Monte Cavallo*, multa addidit ædificia familiæ Pontificiæ accommoda ac perneceſſaria (tranſlato alibi Capucinorum Monaſterio) quæ firmis altiſque mœnibus ad ædium Pontificiarum ſecuritatem vallavit. Hortos etiam amœniſſimos & ampliſſimos, arboribus conſitos, ac fontibus irriguos adjunxit, ut in iis appoſita docet epigraphe:

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
SVMMORVM PONTIFICVM COMMODITATI,
OBLECTATIONI, ET SECVRITATI,
VIRIDARII SPATIVM AMPLIORI PROTENDIT ACCESSIONE
QVAM COMPLANAVIT;
HINC VALLIS IMÆ SVPERFICIEM ATTOLLENS,
COLLIS INDE SVMMITATEM DEPRIMENS,
AREAS DISPOSITAS APTE DISTINXIT,
IRRIGAVIT FONTIBVS,
ET DECENTER EXCOLVIT.
IN ANGVLO ORIENTALI DOMVM
IN CVRARVM INTERMISSIONI RECESSVM CONSTITVIT,
EXCVBIIS MILITVM HELVETIORVM
CONTVBERNIA CONSTRVXIT, ET DISPOSVIT,
HORTOS AMBITV PARIETVM VNDEQVAQVE CONCLVSIT
ANNO SALVTIS M. DC. XXVIII.
PONT. VI.

XXXI.

FERRI FODINIS APERTIS.

INVENTIS apud montem Leonis ferri fodinis, eas uſui reddidit opportunas, & vias ſtravit, ut in appoſita inibi inſcriptione legere eſt.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
INVENTIS ET RECLVSIS IN VMBRIÆ FINIBVS
PROPE MONTEM LEONIS
FERRI FODINIS,
ÆDIFICIVM ET FORNACEM AD EXCOQVENDAM MATERIAM,
ET FERRVM FVNDENDVM EXCITAVIT,
PONTEM AC VIAM EXPORTATIONI IDONEAM STRAVIT,
ANNO SALVTIS M. DC. XXIV.

XXXII.

VBERIORIS ANNONÆ COMMODO.

NOVA & ampliſſima horrea, ad Diocletiani Thermas, veteribus adjunxit, ut ad eorum Januam inſcriptum legitur his verbis.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
VETERIBVS HORREIS A GREGORIO XIII.
ET PAVLO V. CONSTRVCTIS
NOVA HÆC TANTVMDEM SPATII CONTINENTIA,
VT VBERIVS ANNONÆ CONSVLERET,
ADIECIT,
ANNO DOMINI M. DC. XXIX.
PONT. VIII.

XXXIII.

FORTITER EGIT, PRVDENTER PATITVR.

VIRTUTES præcipuæ URBANI Pontificis hoc in nummo deſcribuntur ac prædicantur, ſcilicet Fortitudo, Prudentia, & Pax, quæ in ipſo ſemper eluxerunt. Ait enim Oldoinus Ciaconii continuator: „Vir fuit magni ingenii, prudens, ac ſemper humaniſſimus. Sic pacem coluit, ut ejus induſtriâ & authoritate, duorum potentiſſimorum Regum exercitus, maximo rei Chriſtianæ detrimento, ad Caſalem jamjam collatis ſignis decertaturi, poſt initas pacis conditiones, compoſitis armis, quieverint.„

XXXIV.

ADDITIS VRBI PROPVGNACVLIS.

UT publicæ ſecuritati conſuleret, Urbem mœnibus cinxit, ſicut indicat hæc inſcriptio Janiculenſi Portæ appoſita:

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
ABSOLVTIS CIVITATIS LEONINÆ MVNIMENTIS,
MOENIBVS, AC PROPVGNACVLIS
AD TYBERIM VSQVE EXCITATIS
IMMINENTEM VRBI IANICVLVM,
ET TRANSTYBERIANAM REGIONEM CIRCVMDVCENS,
PVBLICÆ SECVRITATI PROSPEXIT,
ANNO DOMINI M. DC. XLIV.
PONT. XXI.

Obiit 29. Iulii 1644. anno ætatis 76. Pontificatus 21.

Digitized by Google


INNOCENTIVS X PONT MAX
I
REPLEVIT ORBEM TERRARVM
4 G
II
FRVCTVM SVVM DEDIT IN TEMPORE
5 G
III
VNDE VENIT AVXILIVM MIHI
5 G
IV
5 G
V
DECOR DOMVS DOMINI
MDCXLVII
4 G
VI
AGNETI VIRGINI ET MARTYRI SACRVM
4 G
VII
4 G
VIII
FIAT PAX IN VIRTVTE TVA
4 G
IX
4 H
X
5 N
XI
OSTIVM COELI APERTVM
4 G
XII
5 G
XIII
ET CLAVSIT
MD CL
AN IVB
4 G
XIV
4 G
XV
AEDIFICAT ET CVSTODIT
4 G
XVI
AEDIFICAT ET CVSTODIT
4 G
XVII
4 G
XVIII
4 G

Digitized by Google

INNOCENTIUS X.

IOANNES BAPTISTA PAMPHILIVS,

Romanus,

Electus 14. Septembris M. DC. XLIV.

* * * * * * * *

I.

REPLEVIT ORBEM TERRARVM.



AFFLANTE Spiritu ſancto, cœtus Cardinalium in Conclavi congregatus die 14. Septembris, univerſo orbi Chriſtiano JOANNEM BAPTISTAM PAMPHILIVM Cardinalem elegit in Summum Pontificem. Hoc innuere videtur nummus iſte, ni magis arrideat id ipſum quod refert D. à ſancto Amore Doctor Pariſienſis in Diario ſuo, ſcilicet ſe accepiſſe eundem cuſum fuiſſe in memoriam Conſtitutionis, quâ quinque propoſitiones circa materiam Gratiæ & Liberi Arbitrii INNOCENTIUS damnavit.

II.

FRVCTVM SVVM DEDIT IN TEMPORE.

CRux illa quam hîc venerantur cœlites, ſanctæ Crucis Exaltationem deſignat, cujus die feſtiva anni 1644. INNOCENTIUS omnium Patrum, ſi quinque excipias, votis Pontifex renuntiatus eſt, qui expectatos Juſtitiæ, Prudentiæ, cæterarumque virtutum fructus, in tempore ſuo, protulit uberrimos.

III.

VNDE VENIT AVXILIVM MIHI.

AD beatam Virginem, quam à teneris coluerat INNOCENTIUS, in Pontificatus initio, hoc numiſmate teſte, confugit, ut ab ipſa quærat in arduis, quæ quotidie occurrunt, negotiis conſilium & auxilium. Ait enim Oldoinus. « Virgini Mariæ, quam eximio cultu proſequebatur, ſuam retulit electio- « nem olim etiam illi prædictam à B. Felice Cantalicio Capucino, ratæ ſanctita- « tis viro. »

IV.

IVSTITIA ET CLEMENTIA COMPLEXÆ SVNT SE.

DESUMPTUM fuit hoc numiſma cum lemmate à nummo Clementis VIII. ſuperiùs expoſito. Non ineptè tamen INNOCENTIO X. tribuitur. Juſtitiam enim impensè coluit, cujus publicum dedit exemplum, cum Moſcambrunum Subdatarium, falſitatis crimine reum, capite plecti juſſit. Quod referens Oldoinus ait: » Hæc autem tam recta juſtitia in permittendo ut ſævirent judices » in reos, prout jus exigebat, non officiebat quin in abſolvendo innocentes eandem oſtenderet, imò & pietatem & clementiam, cùm eoſdem quos aliquando » judices non integri damnaverant, uti benigniſſimus parens amplectebatur. » In urbe etiam novos carceres ampliores & commodiores extruxit ad miſerorum levamen, ut patet ex hac epigraphe.

IVSTITIÆ ET CLEMENTIÆ
SECVRIORI AC MITIORI REORVM CVSTODIÆ
NOVVM CARCEREM
INNOCENTIVS X. PONT. MAX.
POSVIT ANNO M. DC. LV.

Hacque de cauſa videtur præcipuè cuſus hic nummus.

V.

DECOR DOMVS DOMINI.

BASILICAM Lateranenſem ex parte quâ mœnia reſpicit, formâ elegantiori reparavit. Parietes ipſos à Conſtantino olim opere muſivo extructos, & columnis innixos, mira arte renovavit ac ſervavit, curavitque ut vetuſtas integra remaneret, & venuſtas adderetur, ut docet inſcriptio inibi appoſita.

INNOCENTIVS X. PONTIFEX MAX.
LATERANENSEM BASILICAM.
CONSTANTINI MAGNI IMPERATORIS
RELIGIONE AC MVNIFICENTIA EXTRVCTAM,
SVMMORVMQVE PONTIFICVM PIETATE
SÆPIVS INSTAVRATAM,
VETVSTATE IAM FATISCENTEM,
NOVA MOLITIONE
AD VETEREM EX PARTE ADHVC STANTEM CONFORMATA,
ORNATV SPLENDIDIORE RESTITVIT
ANNO IVBILEI M. DC. L.

VI. XVIII.

AGNETI VIRGINI ET MARTYRI SACRVM.

CUm avita PAMPHILIORUM domus ſita eſſet in Agonali foro, ubi etiam Templum S. AGNETIS exiguum & vetuſtate deformatum conſpiciebatur, illud ipſum ad urbis ornamentum, & B. Virginis decus, elegantiori arte à patruo & patre jam inchoatum, decentiſſimè quantum potuit perfecit & complevit INNOCENTIUS.

VII.

ABLVTO AQVA VIRGINE.

FORUM illud Agonale, ubi olim Agonales ludi, ſeu certamina agebantur, elegantiſſimè ornavit idem Pontifex, non ſolùm eximio PAMPHILIORUM Palatio, & æde ſacrâ B. Agnetis, ſed & fonte limpidiſſimo ex AQVA VIRGINE, quaſi ad ABLVENDVM cruorem Agonalium certaminum deducto, in ſcopuli prærupti formam, largo aquarum undique labentium curſu divite. Illic ſimulachra quatuor ingentia fluminum ex marmore incumbunt, quæ orbis partium quatuor primarios deſignant fluvios, Danubium ſcilicet, Gangem, Nilum, & Amazonum cum ſymbolis animalium & plantarum quæ juxta eos creſcunt & aluntur. Opus totum in ejus apice coronat Obeliſcus Ægyptiacus, cui hæc appoſita eſt inſcriptio.

INNOCENTIVS X. PONT. MAX.
NATALI DOMO PAMPHILIA,
OPERE CVLTVQVE AMPLIFICATA,
LIBERATAQVE IMPORTVNIS ÆDIFICIIS
AGONALI AREA,
FORVM VRBIS CELEBERRIMVM,
MVLTIPLICI MAIESTATIS INCREMENTO
NOBILITAVIT.
OBELISCVM AB IMP. CARACALLA
ROMAM ADVECTVM,
CVM INTER CIRCI CASTRENSIS RVDERA
CONFRACTVS DIV IACVISSET,
INNOCENTIVS X.
AD FONTIS FORIQVE ORNATVM
TRANSTVLIT, INSTAVRAVIT, EREXIT.
ANNO SALVTIS M. DC. LI.
PONT. VII.

VIII.

FIAT PAX IN VIRTVTE TVA.

PRUDENTIA & longanimitate pacem fovit Italiæ INNOCENTIUS, cùm à populo, ac primariis Regni Neapolitani, qui jugum Hiſpanicæ dominatio-

Digitized by Google

nis excutere tentabant, excitaretur, ut Regni hujus recuperandi anſam peropportunam arriperet. Sed ſatiùs duxit, teſte Oldoino, Italiæ tranquillitatem ſua virtute & induſtriâ fovere, quàm armis & ferro augere dominium.

IX.

VT THESAVROS ANNI SANCTIORIS TECVM APERIAM.

X.

XI.

OSTIVM COELI APERTVM IN TERRIS.

XII.

XIII.

APERVIT ET CLAVSIT.

XIV.

LAVDENT IN PORTIS OPERA EIVS.

DIE 24. Decembris 1649. Portam ſanctam ad Jubilei magni inchoationem, ſolemni ut decebat ritu aperuit INNOCENTIUS, qui & templa ſæpius adiit, Xenodochiis adfuit, pedes peregrinorum lavit, aquam & manutergium, miniſtrantibus Etruriæ Principibus Mathia & Leopoldo, qui illuc pietatis ergo advenerant, cæteraque pietatis opera præſtitit. Providus etiam Pontifex frumentum aliaque neceſſaria advehi undequaque curaverat, viroſque probos delegerat, qui juſta rebus pretia imponerent, ne hoſpitum avaritiâ advenæ gravarentur.

XV. XVI.

ÆDIFICAT ET CVSTODIT.

PALATIUM eſt Pamphiliorum, quod magnificè in Platea Agonali, vulgò *Navona*, extruxit INNOCENTIUS, ut patrios lares, in quibus primam hauſerat lucem, nobilitaret.

XVIII.


VATICANIS SACELLIS INSIGNITIS.

VATICANUM Divi Petri Templum, prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærens, exornare ſtuduit. Plurima enim addidit ornamenta, non in Sacellis modò, ut hîc inſcribitur, ſed in cæteris quoque partibus, ſive materies ſpe-

ctetur, ſive operis elegantia non ſpernenda. Quæ autem illa fuerint, hac inſcriptione in portæ medio affixa declaratur.

BASILICAM PRINCIPIS APOSTOLORVM
IN HANC MOLIS AMPLITVDINEM
MVLTIPLICI PONTIFICVM ROM. ÆDIFICATIONE
PERDVCTAM,
INNOCENTIVS X. PONT. MAX.
NOVO CÆLATVRÆ OPERE,
ORNATIS SACELLIS,
INTERIECTIS IN VTRAQVE TEMPLI ALA
MARMOREIS COLVMNIS,
STRATO E VARIO LAPIDE PAVIMENTO,
MAGNIFICENTIVS TERMINAVIT.


Obiit 7. Januarii 1655. anno ætatis 80. Pontificatus 11.



ALEXANDER


ALEX·VII·PONT·MAX·
VIVO·EGO·IAM·NON·EGO
OMNIA·AD·VNVM·OMNIA·AB·VNO
IVSTITIA·ET·PAX·OSCVLATÆ·SVNT·
ROMA
S·NICOLAO

Bb.


XX
PAX VOBIS
XXI
MDCLXI
XXII
XXIII
XXIV
XXV
XXVI
XXVII
ROMÆ
XXVIII
XXIX
ROMÆ
XXX
ASSAGGIVM GENERALE
ROMÆ

Digitized by Google

ALEXANDER VII.

FABIVS CHISIVS, *Senenſis*,

Electus 7. Aprilis M. DC. LV.

Vivo ego, jam non ego.

I.

VIVO EGO, IAM NON EGO.

COMMUNE fuit Pontificibus, ultimis ſaltem hiſce ſæculis, ſtatim atque ad Eccleſiæ ſummum regimen evecti fuiſſent, ſignum aliquod ac ſymbolum peculiare ex ſacra Scriptura deſumptum, ſibi aſcribere, ac ſigillis ſuis imprimere. Hoc præſtitit ALEXANDER, qui ſimul ac Pontifex renuntiatus fuit, illud Divi Pauli dictum ſibi aſcivit, VIVO EGO, IAM NON EGO. Altera autem pars hujus lemmatis, *Vivit verò in me Chriſtus*, ejus vultus expreſſione ſat apertè declaratur.

II.

OMNIA AB VNO, OMNIA AD VNVM.

TRIANGULUS iſte figura eſt, remotiſſima licèt ac imperfectiſſima, Divinitatis, ſiquidem tres anguli in unum coëuntes triangulum, tres Perſonas in uno Deo exiſtentes quomodocumque ſenſibus noſtris exponunt. Innuit autem nummus iſte Deum eſſe A & Ω, principium ſcilicet à quo omnia bona emanant, & finem, ad quem omnia tendere debent: eoque profitetur ALEXANDER ſe ſummum à Deo accepiſſe Eccleſiæ principatum, ſeque ad ejus gloriam & honorem velle illum adminiſtrare.

III.

POPVLVM RELIGIONE TVETVR.

IV.

VT VMBRA ILLIVS LIBERARENTVR.

COMMENDANTUR his numiſmatibus ſingularis ALEXANDRI Pontificis erga Deum pietas & religio, quibus Populum Romanum à peſte ac

Digitized by Google

morte, votis & precibus eximere meruit. Nondum enim evoluto Pontificatus ſui anno, gravis peſtilentia Neapoli Romam advecta, urbem ſuâ lue infecit. Statim pius æquè ac providus Pontifex, divinis humaniſque præſidiis undequaque comparatis, omnes omnino conatus adhibuit, ut huic malo efficaciter occurreret, quod Deo favente præſtitit, urbemque, leviſſimo accepto damno, ab iſto gravi morbo liberavit. Ob hoc autem beneficium, S. P. Q. R. ei ſtatuam erigere decreverat, ni modeſtia ejus vetuiſſet. Nihilominus tamen hæc in tabula marmorea ad perpetuam ſcripſit memoriam.

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.
CVM STATVAM PVBLICE SIBI DECRETAM,
OB SERVATAM VRBEM A PESTILENTIA,
HONORIS SIGNIFICATIONE CONTENTVS,
ERIGI VETVISSET.
S. P. Q. R.
QVO SVI ERGA PRINCIPEM OPTIMVM GRATI ANIMI,
REIQVE TANTÆ MONVMENTVM ALIQVOD EXTARET
PP. ANNO DOMINI M. DC. LVIII.

V.

FELIX FAVSTVSQVE INGRESSVS.

CHRISTINAM Suecorum Reginam, ejuratâ hæreſi, abdicatoque Regno, urbem viſendam invitavit ALEXANDER. Venientem verò regio planè apparatu excepit, miſſis duobus Cardinalibus Principibus, Carolo ſcilicet Mediceo, & Federico Landgravio Haſſiæ, qui eam admitterent, & per Portam Flaminiam, vulgò *del Popolo*, ut hîc depingitur, in Vaticanum hinc inde ſolemni pompâ deducerent.

VI. XXI.

FVNDAMENTA EIVS IN MONTIBVS SANCTIS.

VATICANI TEMPLI AREA PORTICIBVS ORNATA.

CUM plebs annonæ penuriâ ob peſtem vetitumque commercium laboraret, & diurno aſſueta quæſtu vivere, inopiâ conficeretur, præter largæ præclara ſubſidia eleemoſynæ, invenit ejus non ſegniter paſcendæ rationem Pontifex, inſtitutâ porticus Vaticanæ, periſtilio ornandæ, ſubſtructione, quam centum quinquaginta ferè abhinc annis unà cum Principis Apoſtolorum Baſilica deſignatam reperit. Eam ipſe à fundamentis cœptam, ad faſtigium ferè perduxit. Hæc autem verba inibi ſculpta leguntur.

IN VMBRACVLVM DIEI AB ÆSTV,
IN SECVRITATE A TVRBINE ET A PLVVIA.

VII. VIII.

DIVO NICOLAO MYRÆ EPISCOPO.
CASTRI-GANDVLPHI M. DC. LIX.
DILEXI DOMINE DECOREM DOMVS TVÆ.
S. NICOLAO.

PALATIUM Caſtri-Gandulphi ad Lacum Albanicum, quo ſecedere ad animi remiſſionem verno & autumnali tempore ſolebat, non ſolùm auxit, ſed & venuſtius & commodius effecit. Eo autem in oppido templum Parochiale Divo Nicolao ſacrum reparavit, & in elegantiorem formam ornavit.

IX.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
PONTIFICIÆ FAMILIÆ COMMODITATI,
PALATIVM QVIRINALE ORDINAT.
ANNO SALVTIS M. DC. LIX.

JAM in Quirinali Palatio, vulgò *Monte Cavallo*, perampla conſtruxerat ædificia Urbanus VII. Pontificum familiæ, ut vidimus, accommoda; eâ autem amplitudine & elegantiâ auxit ALEXANDER, quâ in hoc nummo deſcribitur, ac inſcriptione iſta declaratur.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
VT FAMILIÆ PONTIFICIÆ
MAIOR ESSET DE PROXIMO APPARENDI COMMODITAS,
PALATIVM QVIRINALE
NOVA ÆDIFICIORVM ACCESSIONE AMPLIAVIT,
ANNO SALVTIS M. DC. LIX.

X.

MVNIFICO PRINCIPI DOMINICVS
IACOBATIVS.
ET FERA MEMOR BENEFICII.

DOMINICVS JACOBATIVS, ut perenne monumentum ſuæ erga Pontificem gratitudinis, poſteris commendaret, numiſma fieri curavit, in quo tritam illam delineari curavit hiſtoriam cujuſdam ad beſtias in amphitheatro damnati, qui leoni objectus, & ab ipſo agnitus, quòd ſpinam pedi adhærentem quondam ſuſtuliſſet; hujus memor beneficii fera, tantùm abeſt ut illi no-

Digitized by Google

cuerit, quin etiam cœperit abblandiri, & à cæterarum ferarum unguibus & dentibus eum tutari.

XI. XIV.

NAVALE CENTVM-CELLÆ.

UT Sedes Apoſtolica conductitiis navibus & triremibus, quas ingenti pecuniâ, nec minori difficultate à Principibus comparare ſolebat, in poſterum non indigeret, NAVALE ad CENTVM-CELLAS, vulgò *Civita Vecchia* inſtituit, omnibuſque navium conſtructioni neceſſariis ampliſſimè munivit. Portum quoque ipſum temporis & maris injuriis labefactatum, magnis molibus immiſſis, & vinculis circumjectis, inſtauravit ac ſtabilivit.

XII.

XIII.

THOMÆ ARCHIEPISCOPO VALENTINO INTER SANCTOS RELATO.

EREXIT etiam apud Caſtrum-Gandulphi ſacram ædem B. Thomæ de Villa-Nova, Archiepiſcopi Valentinenſis in Hiſpania, Auguſtiniani Ordinis, eleganti opere conſtructam; quem quidem nuper in Sanctorum album titu ſolemni retulerat. Extat hujus Sancti effigies, proüt depingi ſolet, in priore horum numiſmatum exarata.

XV.

IVSTITIA ET PAX OSCVLATÆ SVNT.

XVI.

DA PACEM DOMINE IN DIEBVS NOSTRIS.

XX.

PAX VOBIS.

CUM ipſe dum Cardinalis eſſet, Monaſterium, ad pacem inter Principes Chriſtianos conciliandam, Summi Pontificis nomine fuiſſet miſſus, eam exindè maximè coluit, ac inter Reges Galliæ & Hiſpaniæ adhuc diſſidentes, componere totis viribus niſus eſt. Ideo ſæpius ad utrumque Legatos & epiſtolas direxit, ut ad hanc amplectendam eos hortaretur; votaque quamplurima Deo, pacis authori, ad hoc munus obtinendum, indefeſsè fudit, proüt hi nummi teſtantur. Et ut Deiparæ præſidium, in hoc promovendo negotio mereretur, templum pacis ſub ejus auſpiciis dicatum, ſe reparaturum vovit; ac de facto ſtatim ma-

num operi admovit, ſicque hanc ſacram Pacis Ædem, quam Canonici Regulares Lateranenſes incolunt, non modò magnificè reſtauravit, ſed etiam ornamentis eleganter inſtruxit, ut ad ejus fores intus in marmore appoſito legere eſt.

VIRGINI PACIS
VOTA PRO ORBIS CHRISTIANI CONCORDIA
AC TRANQVILLITATE DVDVM SVSCEPTA,
ÆDE ILLIVS AVCTA ET EXORNATA,
ALEXANDER VII. PONT. MAX.
SVPPLEX REPETIT
ANNO M. DC. LVI.
PONT. II.

In valvis etiam exteriùs ſcriptum eſt.

QVOD VOTIS REPETITIS
AD CHRISTIANÆ REIPVBLICÆ TRANQVILLITATEM
COELITVS IMPETRATAM
TEMPLVM MAGNÆ VIRGINI
PACIS ARBITRÆ
A SIXTO IV. ERECTVM INSTAVRAVERIT,
SACELLIS ILLVSTRATIS,
ET MAGNIFICENTIVS EXCVLTIS
EXCITATA PORTICV, ET NOBILIORI FRONTE,
AREA, VIISQVE AMPLIFICATIS AVXERIT,
ORNAVERIT.

Pax autem illa, de qua his in nummis agitur, inita ac ſtabilita eſt in Inſula Faſianorum fluvii Bidaſſoa, ad radices Montium Pyrenæorum, anno 1659.

XVII.

OMNIS SAPIENTIA A DOMINO.

ROMANUM Archigymnaſium, Sapientiæ nuncupatum, ejuſque templum, ea amplitudine & magnificentiâ extruxit, ut ſplendidiora urbis ædificia ſuperare, aut ſaltem æquare videatur.

XVIII.

OSTENDIT DOMINVS MISERICORDIAM IN DOMO MATRIS SVÆ.

ARICIÆ.

XXXIII.

FVNDATA EST DOMVS DOMINI.

B. VIRGINI ARICINORVM.

TEMPLUM etiam elegans ARICIÆ, quæ eſt gentis CHISIÆ oppidum, conſtrui curavit, illudque Virgini Deiparæ aſſumptæ dicavit. Nec procul ab ipſo oppido, ſacram ædem B. Mariæ Gratiarum, totius Latii religione cultuque celebrem inſtauravit, ornavitque.

XIX.

PROCIDAMVS ANTE EVM IN SPIRITV ET VERITATE.

ALEXANDER ſingulari erga SS. Euchariſtiæ Sacramentum pietate ductus, antiquum abolevit morem, quo ſolemni ſupplicatione Summus Pontifex ſedens, & miniſtrorum humeris ſubvectus, illud deferre conſueverat, tanquam divinæ Majeſtatis venerationi minùs congruum; utque deinceps genuflexus illud ipſum gereret, inſtituit & ſancivit, ut hîc cernere eſt.

XXII.

SAPIENTIA IN PLATEIS DAT VOCEM SVAM.

SAPIENTISSIMUS ſolertiſſimuſque Pontifex, urbis ornandæ màximo ſtudio cùm teneretur, plateam quæ ducit ad Portam B. Mariæ de Populo, quæ inter urbis præcipuas recenſetur, reddidit ampliorem, ac elegantioribus ædificiis, tam ſacris, quàm prophanis exornare curavit. Ipſam imprimis Eccleſiam B. Mariæ de Populo, cujus titulum, cùm Cardinalis eſſet, poſſederat, elegantiùs reparavit, ut hæc indicat epigraphe.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
FABII CHISII
OLIM CARDINALIS TITVLARI ÆDE ORNATA,
SVI PONTIFICATVS PRIMORDIA
ANTIQVÆ PIETATI IN BEATAM VIRGINEM
CONSECRAVIT
ANNO DOMINI M. DC. LV.

XXIII.

QVÆ VOVI REDDAM PRO SALVTE DOMINO.

XXXII.

IMMACVLATÆ VIRGINI VOTVM.

TEMPLUM quoque B. Mariæ in Porticu munificam ALEXANDRI manum expertum eſt; illud ſiquidem conſtrui curavit, ut votum quod Deiparæ Virgini, ob peſtem ſedatam, emiſerat, ſolveret. Ejus etiam primarium poſuit lapidem, ut hæc teſtatur inſcriptio.

S. P. Q. R. VOTVM S.
ALEXANDER VII. P. M.
S. MARIÆ IN PORTICV AD FVNDAM. POS.
A. M. DC. LXV.

Quæ ſic legi debet: Senatus Populique Romani votum ſolvens ALEXANDER VII. Pontifex Maximus, ſanctæ Mariæ in porticu ad fundamentum poſuit anno M. DC. LXV.

XXIV.

PRIMA SEDES FIDEI REGVLA, ECCLESIÆ FVNDAMENTVM.

SANCTI Petri ligneam Cathedram, à tot ſæculis in Vaticana Baſilica ſervatam, ære, ſuperinducto auro, incruſtatam & incluſam, à duobus Græcæ totidemque Latinæ Eccleſiæ Doctoribus ſuſtentatam, opere tam molis, quàm artis Equitis Bernini mirando, in abſide templi ejuſdem in Vaticano conſtituit.

XXV.

REGIA AB AVLA AD DOMVM DEI.

GRADUS qui à Porticu S. Petri, ad Palatii Vaticani aulam regiam ducebant, anguſtiores erant & obſcuriores, tantique templi dignitati minùs conſoni videbantur: quod advertens Pontifex, eos ampliores illuſtrioreſque effectos, ad ſummam magnificentiam elegantiamque, ut hìc cernere eſt, reſtauravit.

XXVI.

BEATO FRANCISCO EPISCOPO INTER SANCTOS RELATO.

BEATI FRANCISCI SALESII, Gebennenſis Epiſcopi, virtutes ac ſcripta præ cæteris ſemper coluerat ALEXANDER, ejuſque monita ita altè animo imbiberat, ut teſte Oldoino, illud ex ipſo ſæpius inculcaret, *Nihil petendum, nihil recuſandum*. Unde tanto affectu tantaque veneratione eum deinceps proſecutus

eſt, ut libentiſſimè votis Regis Chriſtianiſſimi, & petitionibus D. D. Henrici DE MAUPAS Ebroïcenſis, & Caroli BOURLON Sueſſionienſis Epiſcoporum, ejus Oratorum inductus, Sanctorum faſtis aſcripſerit.

XXVII.

VIRGINIS ÆDE ET PAULI HOSPITIO EXORNATIS.

AD hujus nummi expoſitionem referre ſufficiet quæ in Porticu Beatæ Mariæ in via lata, hîc delineato, inſcripta ſunt, ſcilicet.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
LOCVS ANTIQVA VENERATIONE SACER ET NOBILIS
IN QVO SANCTVM PAVLVM APOSTOLVM DIV MORATVM,
NON SEMEL VNA CVM IPSO ECCLESIÆ CAPITE S. PETRO,
DE REBVS CHRISTIANÆ FIDEI DELIBERASSE,
VBI SANCTVM LVCAM EVANGELISTAM ET SCRIPSISSE,
ET DEIPARÆ VIRGINIS IMAGINES DEPINXISSE,
IAM INDE A PRIMIS TEMPORIBVS TRADITVM,
CONGESTA TERRÆ OLIM DEPRESSVS
ET INACCESSVS,
FACILI SCALARVM DESCENSV,
IMMISSOQVE FENESTRIS LVMINE
PERPVRGATVS EXORNATVSQVE,
PIO FIDELIVM CVLTVI RESTITVTVS EST,
ANNO M. DC. LXI.

Altera quoque legitur epigraphe in eodem templo his verbis.

ECCLESIA S. MARIÆ IN VIA LATA
OLIM BASILICÆ NOMINE
INTER CÆTERAS VRBIS,
VETVSTATE, ET CANONICORVM COLLEGIO INSIGNIS,
A SERGIO PAPA
PRIMO DIACONIÆ TITVLO CONSECRATA,
SVB ALTARE
CORPORE MARTYRIS S. AGAPITI COLLOCATO,
A LEONE IX.
MVLTIS SANCTORVM DITATA RELIQVIIS,
AB EVGENIO IV.
MONASTERIO ET ECCLESIIS SS. CYRIACI ET NICOLAI
IPSI VNITIS AVCTA ET LOCVPLETATA,
AB INNOCENTIO VIII.
NOVO ÆDIFICIO IN AMPLIOREM FORMAM REDACTA,
ATQVE AB ALIIS SVMMIS PONTIFICIBVS
DONIS SPIRITVALIBVS CVMVLATA,
DEMVM AB ALEXANDRO VII.
MAGNIFICE INSTAVRATA EST ET ORNATA.
ANNO SALVTIS M. DC. LXII.

XXVIII.

ÆDIBVS OECONOMIA ET DISCIPLINA RESTITVTIS.

NOSOCOMIUM Spiritus ſancti non ſolùm ædificiis commodius & ornatius reddidit, ſed & ejuſdem œconomiam & diſciplinam, quæ illud adminiſtrantium incuriâ ſenſim deperierant, in meliorem ſtatum redegit.

XXIX.

SANCTO ANDREÆ APOSTOLO.

ECCLESIAM quoque S. ANDREÆ de Valle collabentem, & ruinas minantem, non ſolùm reparavit, ſed & venuſtiſſimam reddidit; ipſamque tot & tantis decoravit ornamentis, ut inter urbis Romæ elegantiores jure poſſit recenſeri.

XXX.

ASSAGIVM GENERALE.

TRITUS eſt valde & obvius hic nummus, & ex iis quæ ſuperiùs diximus, facile intelligendus.

XXXI.

NOBILIVS PER TE SITVS FLVAM INEXHAVSTVS.

FONS iſte ſitus eſt in platea B. Mariæ Trans-Tyberianæ, quem aquarum acceſſione, & nova reparatione reſtauravit & ornavit ALEXANDER, ipſamque plateam ampliavit, nonnullis ædibus disjectis, & ſolo æquatis.

Obiit 22. Maii 1662. anno ætatis 68. Pontificatus 13.

Digitized by Google



Digitized by Google

CLEMENS IX.

IVLIVS ROSPIGLIOSVS,

Piſtorius,

Electus 20. Junii M. DC. LXVII.

Dominus Poſſeſſio mea.

I.

PROTECTOR NOSTER.

AVXILIVM DE SANCTO.

CUm in Creta Inſula urbs Candia à Turcis, qui eam obſidione à tot annis cingebant, ita eſſet oppreſſa, ut vix eorum jugum effugiendi ulla ſpes eluceret; in his tamen rebus deſperatiſſimis non deſperans CLEMENS Pontifex, fidentiùs AVXILIVM DE SANCTO implorat, & ad Divum Petrum ECCLESIÆ PROTECTOREM in his confugit anguſtiis.

II.

CONSTANTIA SILVERII IMITANDA PROPOSITA.

CUM 20. die Junii 1667. renuntiatus fuiſſet Pontifex, qua feſtum ſancti Silverii Papæ & Martyris recolebatur, eundem in conſtantiæ & magnanimitatis exemplum ſibi delegit. Hic ſiquidem exilium & ærumnas à Beliſario Theodoræ Imperatricis juſſu ſibi inflictas, æquo animo perpeſſus eſt, eò quòd Eutychium hæreſi infectum, & ideo à Sede Conſtantinopolitana, cujus Patriarcha erat, ejectum, in priſtinam reſtituere dignitatem renuiſſet.

III.

SIGNVM CLEMENTIÆ MONSTRABIT.

IV.

ALIIS NON SIBI CLEMENS.

DE ſumma Pontificis hujus humanitate & clementia hæc habet Oldoinus. » Præter vulgatam jampridem famam de tanti viri virtute, & eximia erga » omnes charitate, laxata in ipſo Pontificatus exordio annona, & remiſſum ma- » gni momenti vectigal, ſpem omnem fecerant liberaliſſimi Principatus, quâ oc- » caſione monetis ſuis incidi juſſit pelicanum roſtro pectus eviſcerantem cum hac » epigraphe, ALIIS NON SIBI CLEMENS, innuere volens pius Pontifex ſe nul- » lo parciturum labori, ut quiete ac felicitate diuturna populum faciat gaudere. «

V.

IPSE DOMINVS POSSESSIO EIVS.

EDITUS eſt hic nummus in memoriam coronationis & fauſtæ inaugurationis CLEMENTIS IX. cùm poſſeſſionem Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, per agnum hîc deſignatæ, adeptus eſt die 3. Julii, inter aſſiduas populi acclamationes, ubi ejuſmodi nummos miſſiles diſtribuit. Et exinde hoc lemma ſeu ſymbolum ſibi aſcripſiſſe dicitur.

VI.

DEDIT INDICA ROSA ODOREM SVAVITATIS ANNO M. DC. LXVIII.

CUSUS eſt hic nummus in memoriam ſolemnis ejus celebritatis & pompæ, qua Beatam ROSAM Virginem Peruvianam, ſanctitate & miraculis in novo orbe coruſcantem, Sanctorum faſtis aſcripſit, anno 1668. Hoc autem lemma, DEDIT INDICA ROSA ODOREM SVAVITATIS, alludit ad hujus Virginis nomen, & roſæ odoriferæ florem, qui hîc depingitur, ac coronam componit.

VII.

